



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Januarius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

JANUARIUS.
IN CIRCUMCISIONE DOMINI.
CONGIO PRIMA.

Textus. Vocatum est Nomen ejus JESUS.

Thema. De cultu, & reverentia, quæ convenit Sacratissimo nomini JESU.

Exordium. **R**egius Psalmista Psalmo 148. excellentiam Sacratissimi nominis JESU decantat: *Reges terra, & omnes populi, Principes, & omnes Judices terra, laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius.* Idem in nova lege deprædicat Sanctus Paulus ad Philippen-
ses cap. 2. *Dedit ei nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine JESU omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & inferorum, & omnis lingua confiteatur: quoniam Dominus JESUS CHRISTUS in gloria est Dei Patris.* Citatum textum explicant Cornelius à Lapide, & Tirinus in hunc locum: *Cælestium; id est eorum, qui in cælis sunt, puta Angelorum, hominumque beatorum, terrestrium, id est, hominum, qui in terra degunt, & inferorum, puta eorum, qui expiantur in Purgatorio, & eorum, qui damnati sunt in inferno, sive homines sint, sive Dæmones.* Ita Cornelius: *Omnes ei exhibeant reverentiam Angeli, homines, & dæmones,* ita Tirinus. Hinc S. Paulus epistola 1. ad Corinth. cap. 12. fatetur: *Nemo potest dicere Dominus JESUS, nisi in Spiritu Sancto: id est, invocare uti oportet, seu proficere ad salutem, nisi per gratiam Spiritus sancti.* inquit Tirinus in hunc locum. Audiantur Ecclesiæ Scriptores: *Talis Reverentia congruit Nomini JESU, ut nemo possit hoc nomen dicere, id est, invocare uti oportet, seu proficere ad salutem, nisi in Spiritu Sancto, id est, per gratiam Spiritus Sancti.* scribit doctissimus Lyranus in 1. epistolam ad Corinth. cap. 12. *Vocabulum JESU gloriosum, omni adoratu, & cultu appellari debet.* Origenes hom. 14. in cap. 2. Lucæ. Non

Patres:

Lyranus.

Origenes.

Non est nomen, quod cœlestia, terrena, & inferna venerentur cernua; nisi nomen JESUS, adeo ut, si fieri possit, Deus ipse veneraretur nomen ejus. ita Paulus de Palatio in cap. 1. Matthæi. ^{Paulus de Palatio.} O pondus nominis JESU! quis appendere, quis dinumerare, quis aestimare valeat hoc nomen in pondere, nunquam sine pondere nominandus est JESUS. exclamat Petrus Cellensis lib. 2. cap. 4. ^{Petrus Cellensis.} Quod Paulus dixit de pane divino, probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, hoc idem videtur sentire Paulus, cum ab aliquo sumitur proferendum hoc nomen JESUS, & antequam proferat pro re aliqua impetranda, quâ vires naturâ excedat, probet se ipsum, hoc est: probabiliter credat, se esse ingratiâ. Sileceus lib. de nomine JESU. Expressius scribit Episcopus Monopol. Tom. 4. Epit. Sanct. ferm. ordinatum à summis Pontificibus est: *Assumendum est nomen DEI eâ reverentiâ, quâ sacra communio.* Desuper Conceptus dabo.

CONCEPTUS I.

Qui primus inter creaturas hoc sacratissimum nomen JESUS nominavit, fuit Archangelus Gabriel; creatura, quæ omnium primò hoc nomen JESUS audivit nominari, est B. V. MARIA: Ita Lucæ cap. 1. invenire est: *Et ait Angelus ei; Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus JESUM.* Notate hoc: E, cœlis summus DEI minister Archangelus Gabriel est, qui primò hoc nomen JESUS locutus est, est in terra inter mortales electissima & Princeps, quæ nomen JESUS vocari audivit; sicut asseruit & Petrus Damiani ferm. de Nativit. *Omnes quippe Propheeta aut nescierunt, aut penitus tacuerunt, & reservata est prerogativa dignitatis Angelo Gabrieli, qui Sancto ore suo Sanctissima Virgini illud primò evoluit.* Cur DEUS voluit, ut omnium primò nomen JESU ab Angelo pronunciaretur, à B. V. MARIA audiretur? non erravero, si dixerò ob reverentiâ, ob honorem, qui huic nomini Jesu convenit, quem honorem, ac reverentiâ, è cœlesti curia Archangelus quam maximè novit, virgo sacratissima Spiritu

Sancto plena, optimè didicit. Pro Angelica natura perorat Origenes, & Gerson: *Vocabulum JESU gloriosum, omni adoratu, cultuque dignum, ab hominibus appellari non debuit, sed ab excellentiori quadam, majorique natura, ita Origenes hom. 14. in Lucam. Et hoc non fortuito, sed ex suprema Trinitatis consilio, ita Gerson. 1. parte de Circumcis. Pro intemerata Virgine perorat Philippus Abbas, Bonæ spei: lib. 1. in Cant. cap. 9. Et quis hoc nomen vel intellexit verius, vel amavit sincerius, vel convenientius predicavit, quam ipsa Virgo Mater, cui primò Angelus nunciavit?*

CONCEPTUS II.

S. Joannes cap. 18. refert, super caput Salvatoris in cruce Judæos titulum affixisse: *JESUS Nazarenus*, &c. Signanter Joannes notat: *Et erat scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè*, Lucas cap. 23. habet: *Erat autem, & superscriptio scripta super eum, litteris Græcis, & latinis, & hebraicis.* Cur ordinavit Deus, ut rectè his tribus linguis sacrum nomen scriberetur? Notate: In terra dari linguas notum est, ex S. Paulo disco, & in cælo dari linguam: 1. ad Corinth. cap. 13. *Si linguis hominum loquar, aut Angelorum.* Illa lingua Angelorum quis dubitat quin sancta sit; qualis ergo est illa lingua cæli, & Angelorum? Respondet quidam Author, gemma animæ lib. 3. cap. 45. *Per Hebræam Linguam, Angelorum exprimimus.* Græcam & latinam linguam, linguas hominum, sacras esse linguas Ecclesia definivit. Lingua cæli, Angelica hebraica, & sancta, lingua humana græca & latina, etiam sancta, sacratissimum nomen JESU scribi super Crucem Deus ordinavit, in reverentiam, cultum, & respectum sanctissimi nominis JESU, nobisque in documentum, nomen JESU non nisi sanctissimis labiis, sancta lingua, & voce pronuntiandum esse, summè nempè venerandum, & colendum; quod & Moyse docuit Deus.

CONCEPTUS III.

Exodi cap. 6. viderat Moyses Rubum ardentem non consumi; dixit ergo; vadam, & videbo visionem hanc, cum jam proximior ardentibus rubis

Rubo fieret, audivit vocem de rubo; *Solve calceamenta de pedibus tuis.* Cur quæso Moyses denudet pedes? scitote apud Populos Orientis, solvere calceamenta de pedibus, reverentiam signare, sic Turcæ intrantes Moscheam, calceamenta de pedibus deponunt, nudipedes ingrediuntur, ibique consistunt, Reverentiam ergo tacitè Deus Moysen edocet, dum calceamenta de pedibus solvere jubet. Sed ad quem finem ea reverentia? De nomine Dei oritura erat quæstio, *Tu quis es?* Nomen Dei, quod Altissimus Moysi promulgaverat, nominandum erat Moysi; jubet ergo Deus, Moyses prius solvat calceamenta de pedibus, ad reverentiam, cultum, & venerationem se præparet, corpus & animum adaptet. Discamus ex hinc nomen Dei JESUS, non tam candida mente, voce sancta, sed & corpore undequaque ad reverentiam composito, caput inclinando, corpus curvando, genua flectendo; vocare, & nominare.

CONCEPTUS IV.

Paulum in mortali carne cœlum sursum divina virtute raptum esse ipse testatur 2. ad Corinth. cap. 12. *Scio hominem raptum usque ad tertium cœlum, &c. & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui,* desuper S. Ambrosius serm. 11. *Adhuc Paulus in terris positus jam in regni cœlestis substantiam transformabatur.* Majora addit S. Bruno de laudibus Eccl. cap. 24. *Vis videre Cherubim, respice Paulum.* Quis dicet causam, cur Paulus adhuc mortali carne circumdatus, corpore in cœlum raptus, in Angelum, Cherub quendam transformatus est? causa patebit ex Actis Apostolorum cap. 9. *Elegit Deus Paulum, qui nomen JESUS gentibus deprædicaret: Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Israël.* Paulus ergo, ut potè vas electionis futurus, in quo nomen JESUS per totum terrarum orbem deportaretur, prius cœli civis, Angelus quidam fieri debuit, in respectum, reverentiam, cultum & honorem sanctissimi nominis JESU, quod gloriosum nomen, non nisi in glorioso vase erat collocandum, & deportandum.

CONCEPTUS V.

Nato divino infantulo in stabulo Bethlemitico, vigilantes Pastores de hoc certiores facti, ad illum celeri cursu venerunt: *Pastores loqueban-*

quebantur ad invicem, transeamus usque Bethlem, & videamus hoc Verbum, quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis, & venerunt festinantes, & invenerunt Mariam, & Joseph, & infantem positum in praesepe, &c. Lucae cap. 2. Non legitur, quod nato infantulo reverentiam fecerint, aut insigniter honoraverint; econtra tres Reges Orientis, ubi ad stabulum pervenerunt, subito in genua coram infante prostrati, adoraverunt, mente, & corpore honorarunt. *Proidentes, adoraverunt eum*, Matth. cap. 2. Quid Mysterii hic latet? quod Magi ex Oriente, potentes licet sint Reges, & Principes, nihilominus summa reverentia, cultu & honore insigni, puerulum in stabulo reverentur? Pastores econtra licet viles homunciones, speciali reverentia Christum honorasse non tententur? observate; dum Pastores advenerant ad praesepe & stabulum, nondum puerulus sanctissimo nomine JESUS insignitus erat, dum verò tres Reges advenissent, puerulus jam circumcisus, *vocatum est nomen eius JESUS*. Proidentes ergo adoraverunt, honorarunt, JESUM, Doctrina: JESUS hoc nomen, super regias dignitates omni modo, omni cultu, venerandum, colendum, honorandum, nominandum esse. Ita conceptum confirmat mellissimus Doctor: *Ipsa acclamante nomine JESU proidentes adoraverunt, venerantur ut Deum, Regem simul agnoscunt, ex nomine, & corona.*

CONCEPTUS VI.

Postquam Salvator noster in crucem affixus agonizans exspiraret, caeli firmamentum, & terrae elementa, ad reverentiam, ad cultum, ad honorem specialem, se accingunt, & preparant, sol obscuratur, quasi ex reverentia luctum induit, terra tremit, petra scinduntur, ex metu reverentia, infernus honorat, dum animas in illis tenebris reclusas, luci restituit, ut ad corpora sua redeunt, honorificum deferant famulatum, & obsequia: ita textus: *Multa corpora Sanctorum, quae dormierant, surrexerunt*; Latro honorat in cruce agonizantem, Regem & Dominum Paradisi agnoscens & invocans: *Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum*. Centurio miles honorat Dei Filium clarâ voce deprecans: *Verè filius Dei erat iste*: Plebs antea in juriosa, nunc reveretur, & honorat: *Revertebantur percutientes pectora sua*. Quo-

ro ego, cœli firmamentum, terræ elementa, ac creaturas quid commovet, quid rapit ad tam subitam reverentiam, cultum, & honorem? advertite: Nomen JESUS tunc super caput morientis affixum erat: & ad nomen JESUS eclipsatur sol, solem justitiæ JESUM reveretur; ad hoc lucidum nomen se tenebras esse opere profitetur. Tremet terra, nomini JESU homagium præstat. Inferni sinus aperitur, nomini JESU supremum Dominium designat. Latro in cruce, Centurio miles, numerosa plebs, excellentiæ & honoris titulos deprædicant, Divinitatem, & Majestatem super universa Regna, & Imperia nomini JESU adscribunt nobis in documentum; omni honore, cultu, & reverentia nomen JESUS ab omni creatura nominandum, colendum, venerandum esse.

Hortor ergo omnes cum S. Thoma Aquinate serm. de circumc. honoremus omni reverentia hoc sacrum nomen JESUS, dum nominamus caput denudando, corpus curvando, genua flectendo: ut nos peccatores justificet, justos lætificet, tentatos adjuvet, omnes nos nomini JESU devotos æternum salvet. Amen.

Epilogus.



P IN



IN CIRCUMCISIONE DOMINI.

CONCIO SECUNDA.

Textus. *Et vocatum est nomen ejus JESUS, Lucae cap. 2.*

Thema. Nomen JESU devotè, ac reverenter pronunciantibus, invocantibus, colentibus; ad temporalem felicitatem, ac æternam salutem utilissimum est.

Exordium.



Alomon Proverbiorum cap. 16. affirmat: *Eruditus in verbo, reperiet bonum.* Illud verbum, est dulcissimum nomen JESUS, uti omnes Sacrae Scripturae Patres interpretantur. Eruditè, devotè, reverenter quihoc nomen JESU profert, inclamat, invocat, reperiet bonum temporalis felicitatis, & æternæ beatitudinis: Probemus asumptum Sacrae Scripturae textibus: *Amen, Amen dico vobis, quid*

Textus.
S. Scriptura.

quid petieritis Patrem in nomine meo; dabit vobis, Joan. 17. promittit ipsa æterna Veritas. *In nomine tuo spernemus insurgentes in nobis:* canit David Psal. 43. *Turris fortissima nomen Domini,* Prov. 18. id est; *Nomen Jesu:* inquit Cornelius à Lapide in hunc locum. *Non est aliud Nomen datum sub caelo, in quo oporteat nos salvos fieri.* Scriptum est Actor. cap. 4. *Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Concludit S. Paulus ad Rom.

Patres:

cap. 10. *Audiantur & Patres: Omnia, quaecunque Deus pro salute humana ordinavit, in nomine JESU comprehenduntur:* inquit S.

S. Bernardus

in Cantica. & iterum in Joannem: *Nomen JESU imploratum, nubilum omne diffugit, & reddit serenum. & iterum, neque tantum lux est nomen JESUS, sed est cibus: an non toties confortaris, quoties recordaris? quid aequè mentem cogitantis impinguat?*

pinguat? quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, ve-
getat mores bonos, atque honestos, castas fovet affectiones? Nomen
Jesu omne malum propellit, & omne bonum invehit, scribit S.
Chrystomus, unde subdit in Psalm 110. *Per nomen Jesu con-* S. Chrysto-
versus est orbis, Tyrannis devicta, Diabolus conculcatus, cæli aper- mus.
ti, & nos regenerati sumus: Illud nomen si habuerimus splendidi
erimus. Illud Martyres facit, & Confessores. Perpulchrè Origenes,
præf. in Joannem: Non solum unum bonum Jesus, sed omnia bo-
na: vita bonum est, Jesus est vita: Joannis cap. 11. Resurrectio
bonum est, Jesus est resurrectio; lux mundi bonum est, JESUS est
lux Mundi. Joan. cap. 1. Concludit tandem Origenes: Nomen
Jesu omnium benedictionum fons est & omnium causa gratiarum.
Consolatissimè scribit S. Bernardinus Senensis: Tom. 1. serm. 41. S. Bernardi-
in Lucam: Quicumque scelestissimus peccator debite invocaverit mus Senensi.
in ultimo vita nomen Jesu, salvabitur, juxta illud Joëlis 2. qui-
cunque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Unde hortatur
prædictus Sanctus: Qui enim cælum ascendere desiderat, hoc no-
men Jesu invocet. Divinâ gratiâ invocata, desuper Conceptus
pandam.

CONCEPTUS I.

Confirmatio

Propheta Habacuc cap. 3. prædicit, quàm miserabile tempus ven-
turum sit, in quo Judæi rerum omnium penuriam summam patientur:
Ficus non florebit, & non erit germen in vineis. Mentietur opus O-
liva; & arva non afferent cibum. Abscindetur de Ovili pecus, &
non erit armentum in præsepibus. Propheta misertus calamita-
tem, remedium præscribit, quo rerum penuria avertatur, fructu-
um ubertas, & abundantia, verbo, omnis de cælo benedictio, &
prosperitas inducatur; quale putatis præscribit medium? fors se-
dulam agrorum & vinearum culturam, indefinenter ruri labo-
res? non hæc tantum, sed ferventem ac devotam S. Nominis
JESU invocationem: *Exultabo in Deo Jesu meo;* quasi diceret: ad
P 2 devo-

devotam, ac reverentem nominis JESU invocationem, venit fructuum ubertas, rerum temporalium abundantia, prosperitas, & Dei benedictio; dives mellis, & vindemia: Confirmat S. Chryso-
 mus hom. 9. epist. ad Colos. *Ubi cunque fuerit nomen JESU, ibi omnia sunt prospera, & prosperè omnia succedunt, ubi cunque ad-
 ditum fuerit hoc nomen, cuncta erunt secunda; si Dæmones ejicit, si mortes abigit, multò magis rerum prosperitates efficit.* Discursus
 fors charitati suæ placito Conceptum confirmo.

CONCEPTUS II.

Elegit DEUS Moysen Ducem Israelitici populi, qui ex Ægypto numerosam eduxit cohortem, eiq; multis annis in deserta eremo præfuit, ast planè in terram illam electam, fructibus abundan-
 tem, opibus divitem, fluentem lacte, & melle, non introduxit, sed
 ordinavit providentia divina alium virum, Ducem Josue, qui fi-
 lios Israël in illas deliciarum terras, Judæos victoriosa manu intro-
 duceret, cur rectè Ducem Josue? S. Ambrosius in librum Josue
 scribit: *JESUM NAVE, nominis sacri JESU similitudinem servavit.*
 Litteras enim, Josue nominis, si transponas, invenies Josue idem
 sonare quàm: O JESU! Josue O JESU! ordinavit ergo DEUS du-
 cem, qui populum Israël in terram illam electam introduceret,
 qui aspirando, invocando nomen JESU, Josue, O JESU, signaret, &
 exprimeret: in documentum: pia, devota nominis JESU invocatio,
 agros & vineas reddit fertiles, patriam felicem, familias prosperi-
 tatibus, & DEI benedictionibus abundantes, lacte, & melle suavi-
 tatum, affluentes. Audiatur S. Basilius Seleuciensis: Oratione 49.
*Stetisti quondam sol victoriam Hebræorum præstolatus, JESUM
 Ducem imperantem veritus es: Domini nomen in conspectu tuo ho-
 norasti.* Gratori fors auribus vestris discursu argumentum
 prosequor.

CON-

CONCEPTUS III.

Angelus, Dei nuncius, monet Christi nutricium, S. Josephum. Matth. cap. 2. *Accipe puerum, &c. & fuge in Aegyptum.* O Angele Dei, cur non pariter mones Josephum, ut ad longum iter, vitæ necessarium comitatum provideat, ac deferat; de annona non monet Angelus, sed unice præcipit: *Accipe puerum,* quem gratiosum puerum, Angelus antea jam, & prius iussit vocari JESUM, *Vocabus nomen ejus JESUM* Matth. 1. O quoties blando vultu, corpore undequaque ad reverentiam composito, JESUM Josephus nominando invocaverit, invocando duplicaverit! O JESU mi! O Jesule mi! Josephum ergo, quem præviderat Angelus, quia sapius devotè ac reverenter JESU nomen citabit, repetet, invocabit; non monet Angelus ad longam deserti viam, de annona prospiciat; victus necessaria secum deferat, cum nomen JESU sacratissimum, devotè ac reverenter toties nominando, invocando, per consequens aderit omnis terræ fertilitas, prosperitas, abundantia, benedictio. Perpulchrè scribit S. Chrysostomus hom 78. in Epistolam S. Joannis cap. 16. ubi interrogat: *Quid significat: me non rogabitis: responderet Sanctus: Voluit dicere; non indigebitis me advocato, sed nominis mei invocatio satis erit ad omnia consequenda: Ostendit nominis JESU potestatem, siquidem neque visus, neque rogatus, sed appellatus tantum, apud Patrem mirabiles reddit.* Hoc indicare voluit sponsa in Canticis de sponso animarum nostrarum CHRISTO JESU dicens:

CONCEPTUS IV.

Oleum effusum nomen tuum: Cant. cap. 1. *id est* glossatur S. Bernardus serm. 15. in Cantica, *Nomen JESUS,* nomen JESUS, cur quæso oleo comparat? Oleo lemmatis loco subscribo: *impinguat, & alit:* oleum effusum Nomen JESU, nempe hoc Sacratissimum nomen piè nominantibus, invocantibus, pinguedo est temporalium bonorum, nutrimentum, affluentia necessariorum ad vitam

etum & amictum, perpulchrè desuper Origenes præfatione in Joannem: *Nomen JESU omnium benedictionum fons est, & omnium causa gratiarum.* Epigrammate ornatissimo Nomen JESU, & temporaliter prosperrimum decantat Damasus Papa.

Jure pari regnat, communis conditor ÆVI,
Et cum Patre piâ regnat sublimis in avE,
Sidereo Sanctis insidit Numine regniS,
Unde mare, & terras solo videt omnia nutU
Suggestit humanis, & donat munera rebus,

Concludit conceptum Psalmista Regius: Ps. 30. *Propter Nomen tuum enutries me.* Prodest ergo ad felicitatem terrestrem Nomen JESU devotè invocatum; prodest & ad salutem æternam.

CONCEPTUS V.

Oleum effusum est nomen JESU: Oleum, Plinio teste, lib. 1. cap. 103. dura mollescit; obscura clarescit, undè symboli loco subscribo: *Mitigat, & illuminat.* Præter experientiam naturalem, urinatores maris testes produco, hi dum mare durum, inquietum, sævum, ac furens est, furenti mari guttas olei infundunt, ac sic spumantes procellas mitigant; turbidas depellunt nubes, lucis radios procurant. Oleo comparatur nomen JESU, *quia mitigat, & illuminat*: mitigat furentem contra Deum animum; gratiæ supernæ lumine illustrat; exemplum sit S. Paulus, & S. Augustinus,

CONCEPTUS VI.

Ex Actis Apostolorum novimus cap. 9. Quanta ferocia spirans minarum, Saul accesserit Principes Synagogæ, potestatem litteris confirmarent, ut Christianos perimere, interficere sibi liceret. In via totus mutatus ab illo, deponit sævitiam animi, ferociam mentis exiit, jam non nocere, sed prodesse, non extirpare,

pare, sed ædificare fidem in Christum desiderat: *Domine, quid me vis facere.* Brevi illuminatissimus Doctor prædicat Christum per omnes Synagogas; verificatum hæc est symbolum nostrum: *Mitigat & illuminat.* Quid adeò mitigavit, illuminavit cœcè errantem? mitigavit, illuminavit toties piè repetitum Nomen JESUS. Legite epistolas S. Pauli, & ut Genebrardus lib. 3. Chronicorum numerat, quingenties piè repetitum nomen JESUS inveniatis. Desuper Bernardus ferm. 18. in Cantica: *Portabat Apostolus nomen JESU tanquam lumen, & illuminabat mundum, & monstrabat omnibus lucernam super candelabrum annuncians omni loco nomen JESUS.* Augustinum legerimus, quàm immundum & turbidum mare fuerit, perversus Manichæus, errans hæreticus, factus est fidelissimus veræ Ecclesiæ defensor, illuminatissimus Doctor Doctorum, causalem reconciliationis, & illuminationis ipse Sanctus lib. 3. Confess. cap. 4. asserit: *Hoc nomen Salvatoris mei JESU tenerum cor meum piè biberat, & altè retinebat, & quidquid sine hoc nomine fuisset, quamvis litteratum & expolitum, & veridicum, non me totum rapiebat.*

CONCEPTUS VII.

Audivimus Saulum, & Augustinum induratos licet peccatores, tamen illuminatos tandem divinâ gratiâ Ecclesiæ Doctores, & fideles Christi amicos evasisse: hinc mirum, quod Judas Iscariotes in malitia sua induratus finaliter permanserit, & sic æternum perierit. Quæ est causâ, quod Judas non fuerit ad pœnitentiam deductus, ac commotus? causam eruit Euthymius ex cap. 26. Matthæi: Hic legere est, sceleratum Judam magistrum suum perfidis Judæis triginta argenteis vendidisse: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* in horto obviam procedit Salvatori, eum salutans: *Ave Rabbi.* Notate, Sacratissimo nomine JESUS, Magistrum non intitulat, dixisset, pronunciaffet nomen JESUS, Ego JESUM vobis tradam; Ave JESU, nemo dubitat, ut olim Saulus! ut Augustinus, illuminatus, compunctus factus fuisset ad veram contritionem, ad sinceram emendationem, juxta promissa, verbis Joëlis Prophetæ, *omnis, qui invocaverit Nomen Domini, salvus erit.* cap. 2. Confirmo assertum Parabolâ Matth. cap. 25.

CON.

CONCEPTUS VIII.

Inaudierunt Virgines fatuæ: *Amen amen dico vobis, nescio vos, cur nescit? cur excludit à regno cœlorum? causalem dicit sacer textus: Non habuerunt oleum secum.* Nomen JESUS oleum effusum est, didici ex Bernardo serm. 15. in Cantic. non habuerunt oleum secum, idem, quod JESU nomen non invocarunt: dixerunt; Domine Domine, & non mitigarunt Sponsum, clamassent; JESU! JESU! aperi nobis, commovissent, ut illuminatæ ad pœnitentiam, portam, & introitum ad regnum cœleste aperuisset. Ita docent mulieres illæ Isaïæ cap. 4. *Tantummodo invocetur nomen tuum super nos*, id est, *JESUS*, inquit glossa interlinearis, quia, ut concludit Bernardus, *hoc nomen JESUS imploratum lucet.* Lucet, inquam, & illuminat ad salutem spiritualem. Agnoverat hoc pius Jacobus, de quo libet Genes. cap. 47.

CONCEPTUS IX.

Ad agonem perveniens Patriarcha Jacob, à filio Prorege Egypti, Josepho, invisitur, ac blandè consolatur, advertens bono senecio præsentiam Joseph filii sui, inquit sacer textus: *Adoravit Israel summitatem Virgæ ejus, virgæ nempe, seu sceptri quod Joseph quæ Prorex, manu tenebat.* Cur adoravit summitatem Virgæ? sciendum: Egypti Reges in summitate sceptri, quale Joseph in manu tulerat, exaratum & sculptum deportabant nomen Jehova, nomen Dei, unde S. Joannes Damascenus lib. 4. fid. c. 4. per virgam Josephi intelligit crucem Christi, in cujus summitate scriptum est divinis nomen JESUS: Adoravit ergo Israel summitatem Virgæ, & invocavit, honoravit Dei nomen, nomen JESUS; edocens omnino Christianum, Nomen JESUS piè invocare, nominare in agone mortis, maxime mitigare Deum ad misericordiam, illuminare hominem ad contritionem, & dolorem, sicquè disponere felicem horam mortis, & post hanc patentem introitum ad regnum æternum; ita Bernardus: *Neque tantum lux est nomen JESUS, sed est cibus, an mors toties confortaris, quoties recordaris, quid æquè mentem cogit impinguat, quid ita excitaros reparat sensus, virtutes roborat, & cogitat bonos mores atquè honestos, castas fovet affectiones.*

CONCEPTUS X.

Moriens in cruce Christus, super caput suum affixum volebat pendere titulum nominis JESU. *JESUS Nazarenus.* &c. Joan. cap. 19. cur rectè supra caput? Caput scuto tegitur, sic totum corpus, omnia membra muniuntur, custodiuntur; Caput nostrum Christus est, nos membra in Christo, Nomen JESUS scutum est inexpugnabile, hoc scutum super caput suum affixum voluit Christus: significans nutu, inclinato inquam capite, quod moriens nequit amplius verbis eloqui: sub nomine JESU piè invocato, nominato, nos membra, fideles Christianos, maxime in hora mortis, ut scuto, quàm optimè contra hostes visibiles, & invisibiles muniri, custodiri, ut cum Capite nostro JESU morientes, aternitatem felicem consequamur: ita perorat os aureū in catena: *Sicut in trophæo littera ponuntur, victoriam ostendentes: & iterum hom. 5. in Lucam: Nomen JESUS super crucis summitatem fulgurans, lumen ac salutem morituro impertiatur, ad hoc enim nomen JESUS contremiscunt & horrescunt Demones.* S. Petrus Actorum cap. 4. concludit: *Nec enim aliud Nomen datum est sub caelo, in quo oportet nos salvos fieri.*

Hortor ergo omnes fideles Christianos, cum S. Apostolo Paulo ^{Epilogus.} ad Colof. cap. 3. *Omne, quodcunque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini nostri JESU CHRISTI, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum.*
Amen.



Q

IN

IN CIRCUMCISIONE DOMINI.
CONCIO TERTIA.

Textu. *Vocatum est nomen ejus JESUS, Luc. cap. 2.*

Thema. *Nomen JESUS, irreverenter, frivole in vanum nominare; à Deo graviter punitur.*

Exordium. **D**E Alexandro Magno legitur, militem indignè nomen Alexandri ferentem, acerbius habuisse, & expiâsse; quis explicet, quàm rigidè Deus illos habeat, qui sacrum nomen JESUS, in vanum, frivole, irreverenter habent, nominant, & abutuntur? audiainus comminantem Sacram Scripturam:

Textus Sacra Script. *Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum, non enim fontem habebit Deus eum, qui assumpserit Nomen Dei sui frustra. Exodi cap. 20. Non usurpabis Nomen Dei frustra, quia non erit impunitus, qui super re vana nomen ejus assumpserit. Deuter. cap. 5. Si homo maledixerit Deum, peccatum accipiet, si autem nominat nomen Domini, morte morietur. Levitici cap. 24. ex his textibus apparet, magnum esse peccatum, nomen Domini, quod est JESUS, vanè, & frivole nominare, cum graves propterea pœnas Deus comminetur.*

Patres. *Audiamus & Patres: Majus peccatum est accipere nomen JESUS in vanum, quàm nomen istud Deus, quia Ecclesia communis, & laudabilis consuetudo, magis honorat istud nomen JESUS, quàm nomen Deus, unde audito nomine JESUS, devoti fideles aut caput inclinant, aut genua flectunt, quod non faciunt audito nomine Deus, qui ergo contra hoc offendit, dehonorando nomen JESUS, magis peccat, quàm si dehonoreret nomen Deus: Ita Abulensis in cap. 20. Exodi. Non est, non est hoc peccato deterius, sed neque parum in eo accessio omnium malorum est, omnisquè confusio, inexpiabile supplicium, intolerabilis pœna. Scribit S. Chrysostr. tom. 1. & 2. de fato, & divina Providentia. Nihil est, quod animum nostrum magis exulceret, & confodiat, quàm quod sanctissimum Dei, &*

Abulensis. *Non est, non est hoc peccato deterius, sed neque parum in eo accessio omnium malorum est, omnisquè confusio, inexpiabile supplicium, intolerabilis pœna. Scribit S. Chrysostr. tom. 1. & 2. de fato, & divina Providentia. Nihil est, quod animum nostrum magis exulceret, & confodiat, quàm quod sanctissimum Dei, &*

S. Chrysostr. *& 2. de fato, & divina Providentia. Nihil est, quod animum nostrum magis exulceret, & confodiat, quàm quod sanctissimum Dei, &*

Jesu Christi Domini nostri nomen, quod super omne nomen caelestia venerantur, terrestria adorant, inferna contremiscunt, passim pravorum, efferatorumque hominum vocibus scindi; ut minime mirandum sit, si à Christianis populis in tantis calamitatibus constitutis, divina iracundia flagella non amoveantur. Ita perorat Julius Tertius, bulla 23. Implorato Spiritus Sancti auxilio desuper Conceptus producam.

Julius Tertius.

CONCEPTUS I.

Exodi 23. præcipit Deus; Angelum non esse vilipendendum: *Non contemnendum putes: causalem addit sacer textus: Est nomen meum in illo:* desuper discursum formo: Si Angeli non sunt contemnendi, quia in illis est invenire nomen Dei: Michael enim dicitur: *Quis ut Deus?* Gabriel: fortitudo Dei; Raphaël, medicina Dei; quanto minus ipsum in specie sacratissimum Nomen JESUS est vilipendendum, aut contemnendum? At quando nomen JESUS vanè, frivole, irreverenter, ad rem non convenientem nominatur, pronuntiatur, Nomen JESU vilipenditur, contemnitur, ergo non ita vanè, frivole, irreverenter ad cachinnos, ad jocum, & res ludricas, sacratissimum hoc nomen JESUS est assumendum, pronuntiandum.

CONCEPTUS II.

Lucas cap. 4. narrat, Dæmonem ex homine obsesso clamasse: *Quid nobis & tibi JESU Nazarene, scio quis sis, Sanctus Dei.* Iratus desuper aliàs mansuetissimus Dominus, Dæmonem tacere jussit: *obmutescere!* Videtur Sathan extollere, magnificare nomen sanctissimum JESUS, *JESU Nazarene, scio quis sis, sanctus Dei:* & tamen irascitur, indignatur humilis Salvator, prohibet, ne ulterò proferat, pronunciet Sacratissimum nomen JESUS; *Obmutescere!* cur hoc? Advertite: Sathan irreverenter habuit Nomen JESU: *Quid nobis & tibi? JESU,* inquit, se ipsum prius, quàm sacratissimum nomen JESU nominat, se abjectissimum creaturarum altissimo nomini præfert, præponit; irreverenter ergo quia nomen JESU pronun-

Q

nunciavit; Christus redarguit: *Obmutesce*. Irreverenter ergo vanè, frivole, Nomen JESUS ad quamvis rem ludicram nominare, peccatum est, materia Deum offendens, ad iram & pœnam provocans: agnoverunt hoc gentiles Poeta.

CONCEPTUS III.

Fingunt Poëtae, etiam Diis, si alios Condeos, vanè, frivole, & viliter habuissent, in pœnam, ad tempus nectare abstinendum fuisse: Indicare voluit gentilitas: Jovem, supremum Numen, summe advertere in irreverentiam Diis factam, illos vanè & viliter vocitando: Si in Diis punitur irreverentia, Condiis illata, quanto magis punitur in hominibus irreverentia, vero, ac unico Deo illata; aut nomen Dei, quod JESUS dicitur, vanè irreverenter pronunciare, est Deum vilipendere, contemnere, ergo vanè nomen JESUS a res planè ludicras nominare graviter punitur: *Si autem nominat Nomen Domini, morte moriatur*. Levitici: cap. 24. Noverat hoc uxor Jobi.

CONCEPTUS IV.

Ad Jobum undique afflictissimum inquit Mulier uxor: *Benedic Deo, & morere*: cap. 2. Viderat uxor, à planta pedis, usque ad verticem capitis, Jobum maritum suum sanie infectum, leproso similem, sibi, & proximis intolerabilem, credit ergo mulier mortem Jobo beneficium futuram, quâ miseriæ cumulatae finem dabunt, hinc benè quasi precatur Marito suo: *morere!* ut nempè desinant hæ temporales miseriæ, & sic ex afflictionibus istis abripiatur. Jam ascultate, quo medio utatur astuta mulier, ut Job citò moriatur; improprio malo abripiatur? *Benedic*, inquit *Deo, & morere*. Septuaginta interpretes legunt: *Dic aliquod verbum contra Deum, & morere*, nomen Dei, Jehova, JESUS, vanè, irreverenter nominare, & morere; mors repentina, casus fatalis, non emanabit. Credebant ergo Veterestimatorati Dei cultores, quod etiam verbū contra Deum dicere, nomen sacratissimum Jehova, JESUS, vanè, irreverenter nominare, ad subitanam mortem, ad pœnam gravissimam infligendam, ad casum quendam exitialem luendum sufficiat. in praxi videamus.

CON-

CONCEPTUS V.

Narrat S. Joannes cap. 18. Ministros Judæorum, cum facibus, & laternis in hortum advenisse, ut mansuetum Agnum, Christum Dominum, caperent, & ligatum ad supplicium deducerent, ac crucifigerent. Dum Salvatori jam jam proximi adfarent, quasi eum manu tangere, abripere possent, quasi fulmine tacti, omnes in terram prosteruntur, ut mortua cadavera, in terram concidunt: quæ causa tam fatalis casus? dico causam fuisse irreverentem nominis Jesu prononciationem; Interrogat eos mansuetus Agnus: *quem quæritis?* Respondet præsens turma: *JESUM Nazarenum*: nomen sacrum sine honore debito, & reverentia, sine capitis denudatione, sine corporis curvatione, sine genu flexione, vanè, frivole, petulanter prononciant, & ceciderunt in terram, corruunt quasi exanimæ. Documentum nobis sit: irreverenter, vanè, petulanter nomen Jesu nominare, certum post se casum temporalis poenæ, utinam non etiam damnationis æternæ, post se trahit. S. Chrysostomus in caput 18. Joannis scribit: *Scit demon concedi ei ulcisci illos, quos nominis Jesu illusores fecerat.* Audite eventum.

CONCEPTUS VI.

Audierant filii Scevæ Principis Sacerdotum, Petrum Apostolum, in nomine Jesu, claudum illum, ad portam Templi Salomonis, re-ctum, & sanum fecisse, viderunt cæteros Apostolos solo nominis Jesu invocatione ab obsessis, immundos Spiritus ejecisse; hi filii Scevæ offendunt unum miserum à Dæmone obsessum, utuntur ergo modo exorcizandi Apostolico; ut Apostolos viderant, & audierant facere, & ipsi faciunt, in nomine Jesu diabolum egredi è corpore obsessi jubent: *Adjuro vos per Jesum, quem Paulus predicavit,* inquirunt, Act. cap. 19. Audite quid contigerit: *Contra quos invaluit demon, ita ut nudi, & vulnerati effugerent de domo illa.* Dæmon ex obsesso in illos exorcizantes irruit, vestes de corpore dilaceravit, planè vulnerabat, dilaniabat; Quæ est causa, quod invocatio nominis Jesu aded malè cedat his Scevæ filiis? causa est; quia irreverenter, vanè, petulanter, hoc nomen Jesus nomi-

Q 3

mina-

minabant, quod ex subsequenti textu colligitur: *Magnificabatur nomen Domini Jesu*: post hunc actum magnificabatur, ergo antea petulanter, contemptim, sine honore, sine reverentia, habitum est Nomen Jesus; Cavere Christiani; si ultus est Deus irreverentiam nomini Jesu etiam à non credentibus illatam, quanto magis ulciscetur in Christianos, si lingua minus modesta reverenti, hoc sacratissimum nomen nominant.

Epilogus.

Hortor ergo omnes Christianos cum Moyse Exodi 20. *Non assumes nomen Domini in vanum, non enim insonitum habebit DEUS eum, qui assumpserit nomen DEI sui frustra*
Amen.





IN FESTO TRIUM REGUM.

CONCIO PRIMA.

Vidimus, & venimus adorare.

Textus.

In pietate, devotione, & cultu divino, ac spiri-
tuali exercitio, fervendū & festinandum est.

Thema.

Sponsa in Canticis manus dilecti sui tornatiles esse prædicat: *Manus ejus tornatiles.* Can. cap. 5. Cur tornatiles? Richardus à S. Laurentio lib. 5. de laudibus Virg. observat, quod ars tornandi, seu tornatilis velocior, & promptior sit aliis artibus, Symbolum sit: *Fervet in opere.* Manus, pars corporis humani, opus, & operationem designant; Anima hominis Dei Sponsa charissima est; in anima, manus tornatiles, in operibus pietatis, ferventes, promptas actiones Deus exposcit, atque desiderat, laudat, & deprædicat. Teste

Exordium.

Scriptura: *Fili mi, in operibus esto velox.* Eccles. cap. 32. & cap. 7. *Fili, ex tota anima tua time Deum:* & Christus Lucæ. 10. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis.* S. Paulus quoque hortatur: 1. ad Corinth. cap. 9. *Currite, ut comprehendatis.* Audiantur & Patres:

Scriptura
Textus.

Spiritualia negotia fervidum animum requirunt. inquit Julius Clarus in Matth. *Non satis est recte facere, nisi etiam maturare quid ruit.* scribit S. Ambrosius lib. de Cain, cap. 5. De S. Apostolis & Martyribus scribit S. Gregorius Nazian. Orat. 34. *Ad pietatem acriores, & animosiores exstiterunt.* S. Leo Papa ait: serm. de junio octavi mensis; *Quantum libet quisque justificatus sit, habet tamen, dum in hac vita est, quod probatior esse possit, atque perfectior.* Oportet, inquit Theophylactus in cap. 17. Matth. *Semper proficere,*

Patres.

Julius Cla.

S. Ambro.

S. Gregorium Naz.

S. Leo Papa.

Theophilac.

ficere,

IN

ficere, ab uno gradu virtutis, ad alium transire. Qui Christum sequuntur, eos nunquam fas est descendere, sed ascendere. Prædicat S. Chrystomus hom. in Matth. S. Spiritus gratiâ invocati Conceptus pandam,

CONCEPTUS I.

Confirmatio. Liber Genesis cap. 2. narrat; Deum creâsse hominem hoc modo: *Inspiravit in eum spiraculum vitæ, &c. tulit ergo Deus hominem & posuit eum in Paradisum voluptatis, ut operaretur.* Duo hic admiranda sunt: Primum, cur Deus vitam homini talem dederit, quæ in mero spiritu, & respiratione consistat? Secundum: cum mente doctissimorum virorum Paradisus primo instanti creationis in summâ perfectione excultus floruerit, nulloque cultu indigerit, quid Adam in Paradiso operari debeat, cum Deus eum in Paradisum posuerit, *ut operaretur?* Ad utramque quæstionem respondeo, Spiraculum, experienciâ teste, est fervoris indicium, hinc quæ quis in opere aliquo est ferventior, zelosior, intensior, eò magis vehementius, copiosius respirat; vitam ergo Deus dedit homini consistentem in mero spiraculo, & respiratione; spiret, ferveat, in mero intense in operibus pietatis & devotionis; ita subscribit Phil. Hebræus: in Genesim: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ quia quoties spiritum trahimus, toties debemus Deo gratias agere.* Opus, quod præstet, & exequatur Adam in Paradiso, est Pietatis zelus, fervor devotionis, sic annuente Ruperto Abbate lib. 1. Genes. cap. 27. *ut operaretur: ut inquam creatori suo in laudem suam animam gereret.* Subtili Conceptu materiam hanc dedit aureus Nissenus.

CONCEPTUS II.

Iterum ex Libro Genesis patet, Deum fecisse lucidam Diem vespere, & mane: *factumque est vespere & mane Dies unus.* Genes. cap. 1. Notate verba: *vespere & mane.* Quæro ego quid est vespere nisi finis Diei, quid est mane? nisi initium Diei? jam, rerum sermo inchoando, à principio, initio, & fine, non à fine inchoando, à initio

initium, principium, vel originem deducimus; in ferie lucidi diei, Deo finis est pro exordio, quod postremum est, primo loco ponitur, non dicit Scriptura: factus est mane & vespere dies unus, sed, *factus est vespere & mane dies unus*. Quid mysterii hinc latet? quid Sanctus Spiritus hoc loquendi modo nos vult instruere? vult nos edocere fervorem, zelum, in operibus pietatis, ac devotionis cultusque divini, nempe: finis alicujus operis pietatis, devotionis, puta precum, sit pro exordio; devotio, pietas vespertina, jam matutinam anhelet, hodiernus Deo præstitus cultus, crastinum medietur, & suspiret, opus aliquod bonum finitum, jam cogitet novum, aliud, ac recens, ita habet doctissimus Nissenus Sabbato post s. Dominicam quadrag. §. I.

CONCEPTUS III.

Ardua intellectu sunt verba Spiritus Sancti in Ecclesiaste cap. I. I. *Da partem septem, nec non & octo*: Quid quaeso his verbis S. Spiritus nos vult edocere? Isidorus Clarius respondet, per hæc Verba nos S. Spiritum edocere fervorem pietatis, devotionis, & cultus divini; *da partem septem* sensus est: per septem dies in septimana, in hebdomada ferveat Christianus in operibus piis, in orando, meditando, legendo, &c. finitis his septem diebus in hebdomade, *da nec non, & octo*, id est: octavo die incipiente, ita actus devotionis & pietatis reiteret, repetat, ac si septem elapsis diebus, perque totam hebdomadem nihil fecisset: octavo quasi primum inciperet, devotionis opera inchoaret. Huc quadrant verba Scripturæ, *qui justus est, justificetur adhuc*.

CONCEPTUS IV.

Exodi cap. 28. præscribit Deus vestimenta, quibus Aaron sacerdos, ejusque filii, & posteri induantur: *Indues Aaron vestimentis suis, id est, linea, & tunica, & superhumerali, & rationali, quod constringes baltheo, & pones Thiarum in capite ejus*: Bene advertite: præscribit Deus vestes, & ornamentum, quo Aaronis caput, & corpus tegatur, præter calceos, vel pedum operimentum; cal-

R

ceorum

ceorum nulla fit mentio, an igitur Aaron nudipes incedat? cur nudipes incedat? priusquam dem responsum, quid cum Moyse ad montem Horeb contigerit narrabo. Viderat Moyse à longè super montem, consitum rubum, undequaque ardere, ab igne autem rubum non minui, aut consumi. Vadit ergo Moyse, montem propius accedit, ecce vicinior monti, è flamma ignis, ac rubi, inaudit vocem: *Solve calceamenta de pedibus tuis*: Calceos induere, pedes ab offendiculo munire corrigiis, peregrinantes & itinerantes assolent maximè dum montes scandunt, Moyse montem conscensurus jubetur pedes denudare, calceos exuere, quid mysterii hinc latet? quale documentum inde capimus? nunc ad utrumque respondeo: Sacerdos est legatus Dei. Ita Paulus 2. ad Corinth. cap. 5. *Legatione fungimur, tanquam DEO exhortante per nos*. Sacerdos est dispensator mysteriorum Dei. iterum Paulus 1. ad Corinth. cap. 4. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. Sacerdoti Aaron calcei non præscribuntur, sed omittuntur. Moyse Legatus DEI calceos solvere, pedes nudare jubetur, quo magis in officio, & cultu divino, ferventes & veloces, celeres, expediti sint, & maneant. De Aaron Sacerdote ita concludit Nissenus lib. de vita Moyse: *Sacerdoti nullum calceamentum imponitur, ne tardior ad currendum sit*. Pro Moyse perorat Philo Hebræus lib. de Cain. *Incunctanter, & cum omni festinatione, quod bonum est, agat*. Discimus ergo Deum velle, ut bona opera summo fervore, zelo, pietate, ac devotione indefessè peragantur, perficiantur, uti concludit S. Ambrosius lib. de Cain, cap. 5. *Non satis est rectè facere, nisi etiam maturare quod facitis*. Ex hinc discio secretum latens in Imperio Eliæ ad Giezi, in veteri lege, CHRISTI ad discipulos suos in novo Testamento.

CONCEPTUS V.

Elias dum ablegasset servum suum Giezi ad resuscitandum filium viduæ, hoc ei demandat: *Vade, et si salutarerit te quæpiam, non respondeas illi*. 4. Regum cap. 4. CHRISTUS DOMINUS discipulos mittens in mundum universum prædicare Evangelium, eis imperat: Luca cap. 10. *Neminem per viam salutaveris*.

veritis. Salutare, & refalutare, an non actus sunt honestatis, Christianæ Charitatis? & hi actus inhihentur Discipulis, cur hoc? experientia teste, salutando, refalutando, facile quis in negotio, quod præ manibus habet, turbatur, impeditur, retardatur; In commissis habet servus Giezi, mandatum Eliæ exequi, Apostoli in commissis habent, cultum divini numinis prædicare; opera pietatis exercere; omnem ergo aliam actionem, licet in se honestissimam, ut est salutare, & refalutare, prohibet Elias, inhihet Christus, ad edocendum nos, quanto fervore, zelo, studio, diligentia, opera pietatis, & cultus divini exequenda, adimplenda, perficienda sint, ut nullo alio negotio interposito, sed postposito omni proprio commodo, unice in operibus pietatis, devotionis, religionis, divinis intenti simus, opus bonum, pium, sanctum, Deo dicatum imperturbatè, interruptè, perficiamus. Audiatur S. Ambrosius lib. in Lucam: *Pulchra est salutatio, sed ea pulchrior est preceptorum maturatio, executio divinatorum.*

CONCEPTUS VI.

Exodi c. 12. præscribit Deus populo esum Agni Paschalis: *Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus.* Alias ad edendum moris est sedere, & quiescere, ad esum Agni Paschalis non sedere, non quiescere indulget Deus, sed normam proficiscientium præscribit, quid hæc præscriptione edocemur? fors docet nos Spiritus Sanctus, in operibus pietatis, devotionis, cultus divini, non esse confidendum, quiescendum; fervori, nullam metam, vel finem imponendum, sed ad ulteriora, ampliora, accinctos, ferventes, zelosos, de uno bono opere, ad aliud, de una devotione, ad aliam Christiano progrediendum esse; ita intendit Philo Hebræus de migratione Abrahæ: *Ait textus, renes vestros succingetis, &c. immolate Pascha cum festinatione, quod interpretatur, transitus, quia cum summa alacritate transmigrare debemus ad gratiarum actionem.*

Discamus ergo à S. Tribus Regibus orientis ad Domini præsepe *Epilogus.* fervorem & devotionem, ad quam nos hortatur S. Paulus ad Rom. cap. 13. *Sollicitudine non pigri, Spiritu ferventes, Domino servientes.* Amen.

R 2

IN

IN FESTO TRIUM REGUM.

CONCIO SECUNDA.

Textus. Procidentes adoraverunt. Matth. cap. 2.

Thema. Devotio, Pietas, ad specialem DEI gratiam,
& benedictionem conducit.

Exordium.

Pietatem, devotionem erga Deum, & cultum divinarum rerum S. Augustinus aded extollit, ut serm. 1. p. ad populum Antiochenum, Pietatem Imperiorum, & Regnorum fulcrum, civitatum ornamentum, hominum ac civium dignitatem, & summum honorum gradum intitulet, tandem Epist. 52. *Pietatem, omnia recte vivendi officia compellat.* Eusebius de præparati: Evangel. lib. 8. scribit *Omnes virtutes esse velut partes pietatis.* S. Chrysostomus citatus à Cornelio à Lapide, Commentario in 1. Epist. S. Pauli ad Timoth. cap. 4. de Pietate inquit: *Pietas rectissima vita & norma est, & conversationis optime disciplina.* Nicephorus lib. 13. cap. 1. historiarum de Imperatore Theodosio memorat, eum dixisse: *Omnia Christiani hominis felicitatem in Pietate consistere.* Unde meriens filio hæredi unice pietatem recommendabat. S. Scripturam desuper audiamus: *Quorum pietates non defuerunt, cum semine eorum permanent bona, hereditas sancta nepotes eorum:* Eccles. cap. 44. *Pietas per omnia utilis est, promissionem habet vite, qua nunc est, & æternæ:* Paulus 1. ad Timoth. c. 4. & iterum Ep. 1. cap. 6. *Est autem quasi magnum lucrum pietas, cum sufficienter quasi magnum lucrum est pietas, affert enim secum quod quid homini satis est,* inquit Maldonatus in notis manuscriptis

Textus S. Scripturae.

Novi

Novit Deus pios de tentatione eripere. Concionatur S. Petrus ep. 2. cap. 2. *Perpulchrè perorant S. Patres. Semina aternitatis sunt, gustus operum Christi,* inquit Laurentius Justinianus lib. de obedientia cap. 26. *Uberes fructus habet acceleratio devotionis,* scribit S. Ambrosius lib. in Cain. cap. 5. *Impossibile est ei, qui, quæ Dei sunt, querit, non etiam quæ humana sunt, assequi.* promittente Deo Matth. cap. 6. *Quærite primum Regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* S. Chryso-
Stomus.
 S. Chryso-
 stomus.
 S. Augusti-
 nus.
 S. Cyprian.
hil illi deerit, si Deo, ipse non desit. eleganter S. Cyprianus tracta-
 tu de oratione divina. *Mens prædestinati, divina & sacra cupi-
 de anhelat.* Concludit S. Augustinus in Psalm. 118. *Dei ope invo-
 catâ deluper Conceptus dabo.*

CONCEPTUS I.

S. Lucas cap. 5. narrat, quondam turbam irruisse in JESUM, quivis præ affectu, & pietate, JESU volebat proximus assistere, ad-
 harere: *Factum est ut turba irruerent in eum.* Quid ait bonus JE-
 SUS? fors increpat, reprehendit insolentiam? minimè, *sed ascendens
 in unam navim, sedens docebat de navicula turbas.* Cur quæso in
 naviculam ascendit? & ex ea gratiosè, ac placidè turbam affatur? po-
 terat utiquè in terra consistens, & in medio turbæ stans ut sic om-
 nis homo commodius eum audiret, turbæ prædicare, & conciona-
 ri; cur ergo in navim conscendit? ex ea turbam suavissimo verbo
 consolatur? Advertite: stetit JESUS in terra, in medio turbæ,
 necessariò aliquibus dorsum, aliis verò tantum suam faciem ver-
 tisset. Dorsum alicui vertere, disgratiam, contemptum, vilipen-
 sionem, ac abjectionem signat; e contra faciem monstrare alicui, si-
 gnificat favorem, gratiam, &c. Navim ergo JESUS conscendit, &
 ex ea piæ, devotæ cultui divino addictæ plebi, & turbæ universæ,
 nulli dorsum, sed omnibus faciem suam, id est, gratiam, favorem,
 amorem, affectum exhibet, ac demonstrat, in signum, & documen-
 tum: Piis, devotis semper etiam Christus faciem suam demonstrat,
 eos benignè aspicit, piis, devotis favet, gratia sua eos donat, ac ditat.

R 3

CON-

CONCEPTUS II.

Utique singularis Dei favor est, hominem longâ vitâ & senectâ venerabili, beare. *longitudine dierum adimplebo eum.* Ps. 90. Qui autem diutius unquam vixit, quàm pii, devoti, cultui Divini addicti. In veteri testamento, exemplis Biblia plena sunt; in nova lege de Sanctis Zacharia & Elisabeth signanter notat S. Lucas cap. 1. *Processerunt ambo in diebus suis, causalem addit pietatem; Erant autem justii ambo ante Deum, incedentes in justificationibus Domini sine querela.* An non senex fuit S. Simeon? senex Anna filia Phanuelis, de qua Scriptura: *Processerat in diebus multis.* Lucæ cap. 2. senectutem tantam adscribit Spiritus Sanctus Pietati & devotioni, de Simeone inquires: *Homo ille justus & timoratus;* id est, pius ac devotus. De Anna verò: *Non discedebat de templo, serviens die ac nocte.* Verissimè ergo S. Paulus scripsit 1. ad Timot. cap. 4. *Pietas ad omnia utilis, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & æternæ.* Magnæ favor, & gratia Dei, sunt bonæ proles, ac sancti filii, tales vero plurimque genuerunt pii, devoti, ac Divino cultui addicti Parentes Isaac optimum heredem, pius Abraham & Sara genuere; in summa senectute, optimum Samuelem, pia ac devota precatrix Anna genuit, Joannem Baptistam omni titulo sanctum, & insignem filium pii, devoti Parentes Zacharias & Elisabeth genuerunt. Tandem sanctissimam filiam Virginem Mariam piissimi Dei cultores Joachim & Anna divinitus obtinuerunt; etiam verissimum est dictum Ecclesiæ cap. 44. *Quorum pietates non desuerunt, cum semine eorum permanent bonæ.* Pius, devotis favet Deus, faciem eis monstrat gratiarum. Patet ulterius ex prophetia Ezechielis cap. 1,

CONCEPTUS III.

Vidit Ezechiel animalia rotas trahentia, ac sic describit: *Totum corpus oculis plenum, in circuitu ipsarum quatuor, cumque ambularent animalia, ambulabant pariter & rota, juxta ea, & cum elevarentur animalia de terra, elevabantur similiter & rotæ; quocirca que ibat spiritus, illuc & rotæ pariter elevabantur sequentes eum.*

Spiritus enim vita erat in rotis, cum euntibus ibant, & cum stantibus stabant. S. Gregorius Papa in hunc locum, per rotas, & currum, Deum intelligit, per animalia currum trahentia intelligit homines pios, devotos, Deo addictos: Deus sequitur hominem pium, conjunctus ubique devoto adest, eum aspicit, intuetur, sua gratia fovet, eique in omnibus providet, Davide canente: *Ecce oculi Domini super metuentes eum*, Græca versio legit, *super pios; ut eruat à morte animas eorum, & alat eos.* Videamus probam, & praxiam.

CONCEPTUS IV.

Ad Abraham inquit Deus Genesis cap. 22. *Per memetipsum juravi, &c. benedicam tibi*, notate; Deus jurat Abraham benedictionem, ut S. Chrysostomus hom. 25. afferit, ex debito se Abraham obligat. De Job inquit facer textus cap. 42. *Addidit Dominus omnia, quæcumque fuerant Job, duplicia*: Quid operis adeo meritorii, adeo grati, ac accepti, ambo perficiunt, ut se Deus Abraham cum juramento, & ex debito obliget, Jobum non simpliciter, sed in duplo remuneret, & benedicat? Actum Deo adeo gratum intelligo fuisse pietatem, & zelosum Numinis cultum, de Abraham narrat Scriptura citato capite: *Cum alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altari super struem lignorum, extendisque manum suam.* De super Deus: *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me; per memetipsum juravi, benedicam tibi.* De Jobo affirmat pariter Scriptura; cap. 1. *Consurgensq. diluculo offerebat holocausta, sic faciebat Job cunctis diebus.* Pius, devotis specialiter favet Deus, eos respicit, eos benedicat, Dominos constituit, Reges coronat; ut non immerito Pietati, Doctissimi quique subscripserint dictum Prov. 8. *Per me Reges regnant, Principes imperant, ac Potentes decernunt.* Docet hoc Augustissima Domus Austriaca, cuius radix est Pietas cum symbolo: *Exinde in altum*: Coronarum, & Imperiorum: cui Augustissimæ Domui, Pietas usque modo Anchora est: cum symbolo: *Firmat, & tuetur* contra impetus hostilium procellarum. Numeremus elapsa sæcula; nominetur Pius, qui non & felix, fortunatusque fuerit. Tres adducam ex mille

te-

testibus, omni exceptione majores: Carolus Magnus, Pius ac devotus Deo Princeps, de quo Crantzius lib. 1. Metrop. cap. 18. *Carolus Magnus incredibili studio divinum in Ecclesia procuravit officium, ejus hortatu per omnes penè provincias depositum est Ambrosianum officium, & Gregorianum susceptum. Patrum sermones, Sanctorum vitas, jussit ex fide transcribi. Ecclesiam mane vesperi, nisi magna causa intercederent, item nocturnis horis, & sacrificii tempore, quoad valetudo permetteret, impigre frequentavit. Quàm felix, fortunatus, ac benedictus Princeps exstitit Hispaniæ, Franciæ, Germaniæ Rex, ac Romanorum Imperator coronatus, in tot conflictibus semper victoriosus. Constantinus Magnus piissimus Princeps, de quo Eusebius Cæsar: lib. 9. Eccles. historiæ: *Qui primus Ecclesiam defendit, eo ferè modo Maxentium occidit, quo Moyses Pharaonem.* S. Augustinus ait: *Constantinum verum Deum colentem, Deus tantis terrenis implevit muneribus, quæ optare nullus auderet. Universum orbem Romanum, unus Augustus tenuit, & defendit, in administrandis & gerendis bellis victriosissimus fuit, in tyrannis opprimendis per omnia prosperatus. Theodosio seniori, eo quod verè pius Catholicus esset, adeo omnia prospere successerunt, ut in præliis hostium tela in auctores, & agente, retorquerentur.* Ita scribit S. Augustinus lib. de Civitate 26. De Honorio piissimo Principe iterum S. Augustinus de Civitate vit. cap. 23. scribit: *Ita Deus pugnavit pro eo, ut uno prælio minus amplius quàm centum millia Gothorum prosternerentur.* Operatur S. Cyrillus Alex. lib. de recta ad Christum fide: *Quicumque se pios in Deum declararunt, quæque illi placitura credebant, non ni ope præstare elaboraverunt, citra sudorem, ac pulverem, & devictio, debellatoque, triumphum cecinerunt.**

CONCEPTUS V.

S. Chrysostomus hom. 79. in Joannem scribit: *Quanto precioribus indigemus, tanto magis Angelis appropinquamus.* pietas, & devotio, ex Apostoli verbis, est *questus magnus cum sufficientia*, cum sufficientia, glossatur Cornelius à Lapide, commentario in epistolam primam ad Timoth. c. 6. *Ordinarie Deus principum videt, de sufficientia, id est, de sufficienti victu, & vestitu,*

que rebus ad vitam necessariis. Pietas ergo felices reddit homines, Angelis appropriat, quia indigere non permittit, sed undique succursum submittit, cœlum & terram in adiutorium, homines, & Angelos in auxilium submittit, cum destinat Deus, Gratiolis discursibus ulterius deduco.

CONCEPTUS VI.

Eliæ in deserto Carith divino imperio Corvi alimenta deferunt: *Corvi deferebant ei panem, & carnes mane, similiter panem & carnes vesperi* 3. Regum 17. Iterum ad montem Horeb Eliæ planè Angeli inserviunt, & alimentum deferunt. *Et ecce Angelus Domini terigit eum, & dixit illi, surge, comede, respexit, & ecce ad caput ejus subcinericeus panis.* 3. Regum: cap. 19. Cur primò Corvus, secundò Angelus Eliæ ministrat, & famulatur? Elias zelotes dictus est, pius, devotus Dei cultor erat, zeloti, pio, primò Corvi, secundò Angelus famulatur, noscamus; pios nunquam destitui, piis jam terram, jam cœlum succurrere, & famulari. *Quarentibus Deum, sic omnis creatura ministrat.* Concludit S. Chrylost. hom. 2. in Matth.

CONCEPTUS VII.

Danieli in lacum leonum subsidium mittit optimus Deus, nempe Angelum, qui Prophetam Habacuc, cum cibo, quem messoribus paraverat, usque in Babylonem ad lacum Leonum deportat. *Angelus Domini apprehendit eum in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone super lacum:* Danielis cap. 14. Quis dubitat Angelum solum, cibum Danieli deportare potuisse, sicut panes portavit Eliæ, cur ergo Deus disposuit, ut non tantum Angelus, sed & Habacuc, ac messorum, Daniele cibarent? quis est Daniel? magnus Dei cultor est, pius, devotus Numini existit. Testem audiamus Regem: *Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te,* inquit Rex David ad Danielelem: cap. 6. De Daniele inquit sacer Textus: *Tribus temporibus in die flectebat genua sua, ac adorabat.* eodem. Pio Danieli submittit
S
Deus

Deus non hominem solum; non Angelum solum, simul Angelus & homo serviant pio Danieli; discamus, pio famulari simul, cœlum & terram, & totum universum. Ita Prudentius hymno 4. *Iustus nuncius advolare terris, qui pastum famulo daret, probro raptim desiliret, obsequente mundo.*

CONCEPTUS VIII.

Tribus Magis hodiernis Stella mittitur, dux viæ ad præsep Domini. Causam subscribit S. Chrysostomus hom. 2. in Matth. *Stella precedebat eos, ut ostendat, quod hominibus quærentibus Deum, sic omnia elementa ministrant.* In stabulo summo cultu incarnatum Verbum, Deum verum venerantur: *Procedentes adoraverunt.* Devotis ac piissimis Regibus redeuntibus non legitur Stella amplius præluxisse, sed majori favore dignantur, gratia amplius ri beantur; *Responso accepto, reversi sunt.* Quis est qui respondet? An fors est Dei Angelus, & cœli civis, aut homo quidam, & terræ incolæ? & hujus & illius Deus ac Dominus ipse Jesus, Deus verus, Numen supremum, inquit S. Paschasius lib. 2. Tanto pius devoti ditantur Dei favore, ut non tantum Angelos, & creaturas omnes iis submittat in famulicium, & servitium, Ipsa Dei Magisteras piorum agit ductorem, & directorem.

Epilogus.

Hortor ergo cum S. Paulo 1. ad Timoth. cap. 6. *Seclari pietatem.*



IN FESTO TRIUM REGUM.
CONCIO TERTIA.

Responso accepto ne redirent ad Herodem, per aliam *Textus.*
viam reversi sunt in regionem suam. Matt. 2.

Recidiva in pristina peccata, quàm maximè *Thema.*
obest, & à Deo punitur.

Sanctus Bruno hom. 2. in Epiphanium inquit: *Regressio* *Exordium.*
per aliam viam morum correctionem indicat cum Re-
gibus hortamur, non regredi, non relabi in pristinos
errores, & peccata, relabi enim, & scelera reiterare,
quàm maximè nocet, gravissimè à Deo punitur. Au-
diamus Sacram Scripturam: *Vilis facta es nimis, iterans vias tuas.*
Jeremiæ cap. 2. *Fili peccasti, non adjicias iterum, sed de pristinis*
deprecare, ut tibi dimittantur. Eccli. 21. *Cum immundus spiri-*
tus exierit ab homine, &c. dicit, revertar in domum meam, unde
exivi &c. tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum ne-
quiores se, & ingressi habitant ibi, & fiunt novissima homi-
nis illius pejora prioribus. Luc. cap. 11. *Impossibile est eos, qui semel*
illuminati sunt, gustaverunt donum cælestè, & participes facti
sunt Spiritus Sancti, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitent-
tiam. Prædicat S. Paulus ad Hebræ, cap. 6. *Desuper percipiamus*
Patres. Christus mortuus est semel, cave, ne cum mortuus fueris
semel, moriaris iterum, jam non peccato morieris, sed gratia.
S. Ambrosius in Ps. 118. Duplo Deo displicet flagitium iteratum. *S. Ambro-*
S. Bonavent. in vita S. Francisci cap. 11. Recidere pejus est, quàm *S. Bonaven-*
cadere. S. Bernardinus in cap. 28. Proverb. Vulnera repetita sunt *tura:*
periculosiora tam in corpore, quàm in anima; Dionysius Carthus. *S. Bernar-*
in cap. 11. Lucæ. Peccator recidivus ad peccatum, sicut qui abluo *dionysius*
laterem. S. Thomas à Villa Nova Feria 6. post 4. Dom. Quadrag. *Carthus.*
Rur- *S. Thomas*
de Villanov.

S. Augustinus. Rursus peccatis inflexus superaris, facta sunt tibi posteriora, peiora prioribus. S. Augustinus in Ps. 80. Nihil contulisse videtur adhibita
S. Gregorius Papa. satisfactionis lavatio, quem maculavit inhonestius iterata facinoris turpitudine. S. Gregorius in Psalmum 4. Pœnitentiæ. Qui vult
S. Chrysostomus. ti deludens Dei bonitatem excesserit, expers gratiæ, nullo pacto
 valebit effugere vindictam. S. Chrysostomus in Acta. Timendam
S. Cyrillus Alexand. esse, & graviter formidandam viam Dei, si iterum atque iterum
 eadem perpetramus flagitia. S. Cyrillus Alexand. lib. 5. in cap. 17.
Gratianus. Joannis. Quis quis post acceptam remissionem ad vomitum redierit, tantò
 gravius punietur, quantò benignitate Dei abusus indulgentiarum remissioni ingratus exstiterit. Gratianus de pœnit. dist.
 4. invocata S. Spiritus gratia desuper Conceptus dabo.

CONCEPTUS I.

Confirmatio. Exodi 4. cap. legitur, quod Deus demandaverit Moysi, ut in Ægyptum ad Regem Pharaõnem, & ab eo pro populo Judaico libertatem sollicitet, Moyses dum Ægyptum versus proficiscitur, habuit sibi occurrentem Angelum, stricto ense illi mortem comminantem: cum esset in itinere in diversorio, occurrit ei Dominus & volebat occidere eum. Occisio, capitale crimen, delictum grande supponit, an ergo Moyses scelus aliquod mortis supplicio dignum perpetravit? advertit doctissimus Mansi, in figura hoc contigisse, & mysterium significare; Ægyptus regio est iniquitatis, solitudo econtra regio est pietatis: ex Ægypto regione iniquitatis, egressus Moyses in solitudinem, signat hominem, qui per pœnitentiam exiit ex Ægypto, ex regione peccati, & solitudinem sanctæ vitæ emendationis ingreditur, Moyses nunc qui ex Ægypto iniquitatis ingressus est solitudinem pietatis, vitæ emendationis iterum in Ægyptum regionem iniquitatis revertitur, signat hominem conversum per pœnitentiam, sed brevi iterum in peccata pristina revertentem, relabentem, mortis supplicium Moysi in Ægyptum revertenti comminatur Dominus, ad innuendum, qui relabentes in pristina peccata per pœnitentiam abolita, Deum gravissimè supplicis horrendis & fatalibus punire, ac castigare. Mos cap. 1. patet.

CON

CONCEPTUS II.

Super Sion rugiet, inquit Amos; rugire leonis est, animalis iracundissimi, ac ferocissimi, per hunc rugitum, quem Deus per Amos comminatur, indicat; se quam gravissimè irasci, ad puniendum exagitari. Quale peccatum est, cui Deus tam graviter irascitur, & succenditur? peccatum specificat Amos: *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum.* Denotatur peccatum relapsus, & recidivæ, nempe peccatis, quæ post pœnitentiam, post confessionem statim iterum perpetrantur, implacabiliter irascitur Deus, punit, & castigat severissimè. Audiamus S. Hieronymum in hunc locum in persona DEI loquentis: *Quia tertio, quarto eadem faciunt, cogor plagis corrigere delinquentes. in praxi verificatum videamus.*

CONCEPTUS III.

Abjectam undique experimur Judaicam gentem, reprobationis signum in facie portare, quæ causa est, quod Deus hunc populum, quem olim tot favoribus dignatus est, nunc temporaliter, & æternum objecerit? Causalem describit Severus Sulpicius lib. 1. Historiarum: *Reputare animo soleo, populum tot beneficiis obligatum, tot cladibus, dum peccasset, coercitum, expertumque misericordiam Dei, nequaquam emendatum, sed cum semper veniam maroris acciperet, semper peccasse post veniam.* Idololatrias, quas in Ægypto commiserant, egressi in terram promissam, ibidem reiterarunt; recidiverunt, & relapsus adeo Deum exacerbaverunt, ut Judæos reprobarerit, abjecerit.

CONCEPTUS IV.

Achab Regi propter Naboth innocenter perditum, ex ore DEI, Elias Propheta pœnam denunciat: *Ecce inducam super te malum.* 3. Regum cap. 21. Super nuncium hoc Achab cum lachrymis veniam exorat, & placatus Deus per eundem Eliam denunciat: *Quia igitur Achab humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus.*

ejus. Post paucos annos tamen malum comminatum induxit Dominus, ipse Achab sagitta tactus miserè exspiravit, tota familia regia crudeliter enecata, insepulta derelicta, à canibus devorata est. Quæ causa? causa est recidiva, relapsus, in pristina scelera femel misericorditer remissa. Ita assentitur S. Ambrosius lib. de Naboth cap. 17. *Jezebel habuit uxorem, cujus ducebatur arbitrio, quæ avertit cor ejus, & nimis sacrilegis execrabilem fecit, & hinc ejus pœnitentiæ revocavit affectum.*

CONCEPTUS V.

Ninive Civitati minatur Deus, Jonæ cap. 3. *adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Pœnitentiam egerunt Ninivite & Deus placatus indulget: *Et vidit Deus opera eorum, quod conversi sint de via sua mala, & misertus est super malitiam, quam locutus est, ut faceret eis, & non fecit,* post aliquot annos prædicit Tobias. *Propè est interitus Ninive:* hinc monet filium suum: *Nunc ergo filii audite me, & nolite manere hic, &c. sed dirigite gressus vestros, ut exeatis hinc, video enim quia iniquitas ejus finem dabit.* Unde evenit Ninive fatalis interitus? finis exitialis? dicit Lyranus propter scelera post pœnitentiam reiterata: *Ninivite conversi sunt ad vitia consueta, idè propter hoc destructionem dixit Dominus per Nahum Prophetam, Vastata est Ninive cap. 3. quam devastatorem appropinquantem prædixit hic Tobias.*

CONCEPTUS VI.

Tandem Pharaon cum numeroso suo exercitu, in profundo maris rubri submersus, interiit. Iratus Deus Pharaonem Regno & Imperio, vita, & fama privavit. Causam noscimus ex lib. Exodi decies conversus Pharaon, decies relapsus est, *Immutatum est cor Pharaonis & servorum ejus,* Exodi cap. 14. *Ad horam tantam pœnitentiam finxit, non servavit, nam persecutus est filios Israel.* Concludit Lippomanus in cap. 14. Exodi.

CON

CONCEPTUS VII.

Uxor Loth Genes 19. à vindicta divina rigidè castigatur, *Conversa est in statuam salis*, causam præmittit Scriptura: *Respicisne uxor ejus post se*: egressa ex iniquitatum loco, quia hunc iteratò respexit, in loco punita est. Perpulchrè desuper S. Cyrillus Alexand. in cap. 17. Lucæ: *Uxor Loth conversa retrò ad Sodomam, à qua discesserat, in statuam salis mutata est, & indè sumendum esse nobis exemplum, ne ad deploratas revertamur peccatorum illecebras admonuit Dominus: Memores, inquit, estote uxoris Loth.*

CONCEPTUS VIII.

Ad piscinam probaticam narrat S. Johannes jacuisse hominem infirmum 38. annis, CHRISTUS eò adveniens misertus infirmi, sanavit eum, hac monitione data, sibi caveat impofterum, ne quid deterius sibi aliquid contingat. Ergone etiam infirmitate tam proluxa 38. annorum quid deterius contingere potest, majori pœna homo à DEO castigandus venit? quid committet homo criminis? recidiva, reiteratio peccati, per pœnitentiam aboliti, sufficet, liquet ex verbis CHRISTI: *Ecce jam sanus factus es, noli peccare amplius, ne quid deterius tibi contingat.* Joannis cap. 5. Recidiva maxima tormenta post se trahit: ita Theophrastus: in cap. 5. Joannis: *Qui priori supplicio non est emendatus, ad majora tormenta ducetur.*

CONCEPTUS IX.

2. Regum 18. Absolon à Joab tribus lanceis transossus est. *Tulit ergo tres lanceas, in manu sua, & infixit eas, in corde Absolon.* Una lancea cordi infixam jam vitam ademit Absoloni, ad quid ergo secunda, & tertia lancea infigitur? Respondet Abul-

bulen-

bulensis quæst. 13. *Joab ad vindictam infixit ei tres lanceas in corde, quum una suffecisset.* Sed ob quale delictum illa vindicta, poena in triplo? delictum est recidiva, iteratio criminis læsæ Majestatis Regis David: graviter offendit & contristavit Patrem suum Davidem, filius Absalon, ut legere est 3. Regum cap. 13. Per mulierem Thecuitem Absalon supplex, facile impetrat veniam, 3. Regum cap. 14. Intra spacium duorum annorum peccatum & crimen læsæ Majestatis Absalon reiterat, noviter, denuo, secundo Patrem offendit, 3. Regum 15. Exinde vindicta gravissima, Joab non unam, sed tres lanceas in corde recidivi infigit exemplum, quàm gravissimè Deus peccatum iteratum vindicta puniat, & castiget.

Epilogus.

Hortor ergo cum Ecclesiastico cap. 21. *Fili peccasti, non desicias iterum, sed de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.*
Amen.





IN FESTO CONVERSIONIS
S. PAULI.

CONCIO PRIMA.

Cadens in Terram, Actor. cap. 9.

Textus.

Peccata ipsa sunt Hominum Ruina, & Præcipitium.

Thema.

Ecce Saulus cadens in Terram, præcipitatus, humiliatus, confusus jacet. *Exordium.* Quid dejecit, præcipitavit, humiliavit, atque confudit? prostravit atque confudit ipsum peccatum, Sauli cordis durties, crudeliter Ecclesiam Christi persequentis. Audiamus Scripturam,

Act. 9. Saulus autem adhuc spirans minarum & cædis in Discipulos Domini, accessit ad Principem Sacerdotum & petiit ab eo Epistolam in Damascum ad Synagogas, ut si quos invenisset hujus via viros ac mulieres, victos perduceret in Jerusalem. Ipsa ergo

Peccata sunt peccantium ruina, ac præcipitium, ipsa peccata sunt virgæ, flagella, & fustes, quibus peccator cæditur; probemus Sacræ Scripturæ Textibus. *Iniquitates sua capiunt Impium, inquit Salomon Proverb. cap. 5. & lib. Sap. Cap. 5. Funibus Peccatorum confringetur. David in Psal. 35. canit: Dixit injustus, ut delinquat in semetipso, non est Timor DEL. Peccatum, dicit Moyses Deut. 29. Radix est germinans sel, & amaritudines. & Isaias 57. Impii quasi mare, quod quiescere non potest. Tandem S. Jacobus Cap. 1. Peccatum, cum consummatum fuerit, generat mortem. Percipiamus Patres. Malorum omnium causa, constat esse Peccatum; ex Peccato tristitia, ex Peccato tumultus, ex Peccato bella, mor-*

Textus Scriptura.

Patres:

T
bi,

S. Chryso-
stomus.S. Hierony-
mus.

S. Cyprianus.

Salvianus.

bi, atque omnes, quotquot nos premunt, passiones. S. Chryso-
stomus. Hom. ad Pop. 5. *Nostris peccatis barbari fortes sunt, nostris pec-
catis Romanus superatur Exercitus*, S. Hieronymus Ep. 2. *Hoc sunt
peccata lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sidus arbori-
bus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigis seiva tem-
pestas, omnes scilicet bonorum operum fruges destruit, animi se-
cultates corrumpit, totum hominem ad interitum ducit.* S. Cypria-
nus Serm. 5. de lapsis: *ipse sese alligat peccator quisque cum pec-
cat, ipse sibi parat peccator, quisquis quid patitur, nos calamita-
tum nostrarum auctores sumus, nos adversum nos omnia facimus.*
Scribit Salvianus lib. 8. de divina Providentiâ. *Divinâ Dei Gratiâ
invocatâ, desuper Conceptus dabo.*

CONCEPTUS I.

Confirmatio
seu
Deductio.

1. Reg. Cap. 2. promittit Deus: *Quicumque glorificaverit me, glo-
rificabo eum, & addit. Qui autem contempnent me, erunt ignobiles.*
Benè advertit Doctissimus S. Cajetanus, in formâ contextum
sonare debuisse: quia autem contempnent me, contempnam eos: qui
glorificant Deum, promittit Divina Bonitas, quia reciprocè glo-
ficabit; qui autem contempnent, non dicit, quia reciprocè contem-
net, sed inquit, *erunt ignobiles*, quia Peccator peccando seipsum
confundit, seipsum prostituit, cum offendit.

CONCEPTUS II.

Annis 38. Infirmus ad piscinam probaticam miser decubuit, ad-
nit Salvator etiam illius misertus, eum sanat, hâc admonitio
additâ: *jam noli peccare amplius, ne quid deterius tibi contingat.*
Joan. 5. S. Joannes Chryso-stomus optimè advertit, Christum
dixisse ad miserum illum, jam noli peccare amplius, ne deterius
quid tibi faciam, vel infligam, non enim ipse DEUS, sed nos pec-
cando nobis grandia mala, ruinam, & interitum procuramus,
concludit S. Joannes Chryso-stomus in Joannem: *Peccator ipse
generat vulnera, ipse se confodit.*

CO

CONCEPTUS III.

Expendebat Origenes hom. 24. in Matth. aliter DEum protulisse sententiam in justos, ac in malos & damnandos, aiebat: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus.* Ad bonos & salvandos ait: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Notare libeat, Christum salvandos nominare *benedictos Patris* nempe in Patre cœlesti hanc gratiam acquirunt, ut filii æternæ hereditatis sint, & æternum permaneant, gaudiis cœlestibus sine fine fruantur. E contra damnandos, reprobandos, in ignem æternum conjiciendos, non dicit Christum damnandos, reprobandos à Patre, quasi mali, perverti, peccatores, ipsi sibi locum tormentorum præparent, ipsi se condemnent, abjiciant, reprobent, in ruinam & interitum inducant. Sic Conceptum subscribit Origenes: *Benedictionis quidem ministrator est Pater, maledictionis autem unusquisque est peccator, qui maledictione digna operatus est.*

CONCEPTUS IV.

Herodes Rex misère periit, & bestię instar crepuit, ut describit Flavius Josephus Antiquit. Judaic. Cap. 17. *Ipsa quoque verenda putrefacta scatebant vermibus, accedente sædâ, nec minus molestâ rentigine, non sine fœtore gravissimo.* Quid Herodem in funestum statum redegit? Matthæus Cap. 14. indicat Causalem: *Herodes tenuit Joannem, & alligavit eum.* Pulchrè desuper S. Petrus Chrysologus Serm. 94. *Qui vincula solverat peccatorum, peccatoris vinculis alligatur, & vincula venia, venia locum non reliquit.* Vincula injiciendo Joanni, vincula ipsemet sibi injecit veniæ: Joannem ligando, ipsemet se miserrimâ sorte vinculavit: Joannem medicum occidendo, seipsum Herodes æternum interemir. O Peccator! Peccatis tuis tu ipse tibi gladium fabricas, quo perfoderis: Venenum paras, quo occideris, & peris.

CONCEPTUS V.

Adam peccavit, fructum inibitum comedendo: vix peccatum perpetravit Adam, exilium quærit. *Abcondit se Adam & Uxor ejus à facie DEI.* Genes. 3. Quis in exilium detrudit Adam peccatorem? An severa Dei justitia? minimè misericors Deus in paradisum post raptum Adæ devenit, & inlclamat: *Adam ubi es?* Notat S. Augustinus, tom. 3. de Genesi. verba DEI: *Adam ubi es?* non indignantis, sed quærentis & hortantis verba fuisse; quærentis, ne erraret miser exul, hortantis, & monentis, ut revertatur & convertatur, Pœnitens gratiis novis fruatur: ipsemet ergo Adam peccato se detrudit in exilium, ipse se ruinavit & præcipitavit. Conceptum hunc subscribit Basilii Seleuciensis in Genes. *Illi rore percussi, se ipsos transgressionis accusatores, in testes exhibitos, exilio suo suffragantur.*

CONCEPTUS VI.

David Psal. 36. canit. *Gladium evaginaverunt peccatores:* mox subdit: *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Euthymus hic per gladium peccata intelligit: *Insidia in ipsos peccatores vertentur:* gladiis, cultris, & armis innumeri sunt, qui sibi nocuerunt, carnifices proprii fuerunt; sic ut gladio, ut ense, cultro, peccator sibi ipsemet nocet, se interimmit peccator. Exemplum adducit Sacra Scriptura Judith. 13. Cap. Holofernes inter exanime cadaver prostratum jacet; quis interitum, ruinam cavavit, procuravit? Respondet S. Chrysologus Serm. 17. *Tota membra Hominis hosti suo, suam militant in ruinam.* Ipse Holofernes peccando ensẽ fabricavit, interitum, ruinam peccando cavavit, tota Holofernis membra ad suam propriam ruinam laborarunt: ipsemet Judith ad se invitat, & vires, quibus eum occidavit, mutuat, ipse nimiam ebrietate locum præbuit gladio, libidine ardens, ferrum præbuit jugulo, sopor pavorem excidit, ebrietas tempus concessit, vinum lautius in luxuriæ obsequium haustum impedivit sensum, foeminae erexit animum temulentum & morti opportunam occasionem conciliavit Ignavia.

CON

CONCEPTUS VII.

Judæi Christo Domino nostro dederunt in manus arundinem. *Dederunt arundinem in dexterâ ejus*, Matth. 27. Ad quid dat arundinem in manus? præmittit *Evangelista*: *Illudabant ei, & exuentes eum, Chlamydem Coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis posuerunt super Caput ejus*. Post tam atrociam factam, & peccata grandia, dant Christo arundinem in manus: Arundo duplici rei deservit; pro calamo scriptorio, etiam pro baculo, & fuste, arundinem, calamum dant in manus Christo, quem adeo offendunt. *Quasi calamum*, inquit S. Chrysostomus in Matth. *dederunt in manu, ut peccata eorum conscriberentur*. Quasi baculum peccatores Judæi dant Christo in manus; quo ob scelera percutiantur, plectantur. Sic peccatores peccando calamum porrigunt, ad protocollum inscribuntur ad pœnam, baculum in manus porrigunt, Dei Judicis, qui rei plectantur puniantur peccata, peccatores ponunt.

CONCEPTUS VIII.

Murmuravit Maria contra Moysen fratrem suum, propter mulierem Æthiopsam, quam duxerat uxorem, murmure hoc completo, inquit Textus: *Nubes quoque recessit, qua erat super Tabernaculum*. Num. Cap. 12. vix nubes submota fuit: *Ecce Maria apparuit candens leprâ, quasi nix*. Quid Mysterii latet, quod nubes evanuit tunc, cum futurum erat, ut Maria leprâ, quasi nix candens appareret; Philosophi Conimbricenses Tract. 7. in lib. Meteor. Cap. 5. de nivis generatione docent: *Cum nubes in mediâ aëris regione, ob vehementem frigiditatem, antequam in aquam solvantur, congelascunt, nix efficitur*. Quando ergo Maria leprâ quasi nix candens apparuit, tunc nubes recessit, ut indicio esset, quod nix supplicii Mariæ, quod lepra deformabat, non è nube diei, sed ex atro & obscuro vapore injustæ murmurationis ejus descendit, & ortum habeat: Sic peccator ipse sui supplicii fit arbiter, & architectus.

CONCEPTUS IX.

Apud Isaiam Cap. 50. ad Peccatores inquit Deus: *Ecce vos omnes accedentes ignem, accincti flammis, ambulatis in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis.* Notate, non ait: *In lumine ignis mei, sed ignis vestri.* Peccatores enim ipsi sibi ignem construunt, quo conflagrant. Testes Sodomitæ: *DEUS pluit sulphur & ignem.* Genes. 19. Notate verbum *Pluit.* Pluvia unde oritur? est vapor è terrâ ascendens, qui sæpius condensatur, quousque resolutus in aquam, recidat eò, unde ascenderat. Quid peccatum fuit Sodomitarum? ardens & fetens ignis libidinis, iste ignis cœlum petiit; *Clamor Sodomæ venit coram me.* Pluviam sulphuris & ignis, quam super Sodomam pluit, ipsi Sodomitæ causarunt, ignem luxuriæ sursum mittendo, qui eò, unde ascendit, recidit, auctores suos Sodomitas incineravit: Peccator ergo ipsi sibi carnitex, ipsi sibi cudit jacula, quibus confoditur, perimitur.

Epilogus.

Semper fuit, eritque verissima Aurei Oratoris præsentia: *Nemo leditur nisi à seipso.* Cui vel inter Ethnicos Romanæ Eloquentiæ Princeps Cicero subscribit. Lib. 1. Epist. ad Messinium. *Præter culpam & peccatum, accidere homini nihil potest, quod sit terribile aut pertimescendum.* Quæ si veritas cordi nostro altè infideret, amœnos lætosque duceremus dies, & paradysum in lachrymarum valle inveniremus: Sapientissima illa Siracidis vox mentibus nostris inhæreat: *Fili, quasi à Facie Colubri fuge peccata.* Peccatum enim, quod in Protoparentes serpsit per colubrum, tibi dulce propinabit venenum, morfu infelici pervertet in Saulum, ut casu graviore, in terram horroris, & vastæ solitudinis præceps ruas. Amen.



IN FESTO CONVERSIONIS S. PAULI.

CONCIO SECUNDA.

*Circumfulsit eum lux de cœlo, & cadens in terram, Textus:
audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule! quid me
persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare.
Act. c. 9.*

*Peccatores, cum quibus Deus longè dissimu-
lat, tandem severissimè punit.* Thema.

Pertinaciter in malitiâ suâ, ac crudelitate contra Chri- Exordium.
stianos perseveravit Saulus, clementer Altissimus ali-
quamdiu indulgit, tandem induratum, fulmine de cœ-
lo in terram severissimè prostravit. Discamus hinc,
Peccatores, cum quibus Deus aliquamdiu dissimulat,
tandem severissimè puniri. Constat Scripturæ textibus. *Nequitia Textus Sa-
in Habitaculis eorum, veniet mors super illos, & descendent in in- cræ Script.
fernum viventes. Ps. 54. Dominus justus concidit cervices peccato-
rum. Ps. 128. Ne dixeris, peccavi, & quid mihi triste accidit? Altis-
simus est patiens redditor, vindicans vindicabit. Ezechiel. cap. 5.
Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Job. 21.
Audiantur Patres: Altissimus est patiens redditor, patiens dicitur, Patres.
quia peccata hominum & patitur, & reddit, nam quos diu, ut
convertantur, tolerat, inconversos gravius damnat; Scribit S. Gre- S. Grego-
gorius Papa. hom. 13. in Evangelia. Tempus, quod ad parcendum pie rim.
disposuit; còstrictius ad feriendum vertit. Idem. hom. 11. super Eze-
chielem. Numquid proluxa misericordia potest Deo auferre justitiam?
quantiò enim diutius expectat, tantiò gravius vindicat. Inquit S. Au- S. Augusti-
gustinus ferm. 101. de Tempore. Et iterum in Psal. 9. Nemo grate nu.
tur homini, qui prosperatur, cujus peccatis deest ultor, major hæc ira
Dei*

Dei est. Grandis dilatio Justis facit esse Judicium Dei, & digniorum Peccatorum interitum. Imperfect. hom. 19. in Matth. *Deus, quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis servat.* Scribit Seneca. de Provid. Cap. 2. *Divina enim vindicta oculis, non perpetuo dormitat.* Concludit Nicephorus hist. lib. 6. *Implorata Deo ope desuper Conceptus pandam.*

CONCEPTUS I.

David Psal. 57. severissimum Judicium prædicit induratis Peccatoribus: *In corde iniquitates operamini in terrâ, injustitias manus vestrae concinnant, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa: in ira absorbet eos.* Notare libeat Prophetam Dei iram aquæ stanti, lacu piscinæ comparare. Cur aquæ stanti? Experimentiâ teste, aquæ stantes, ut sunt lacus, piscinæ, varios impetus sustinent, à ventis vehementibus, à validis procellis concussæ, exagitatae steterunt suâ spherâ se continuerunt, non se effuderunt; contingit autem ut stagna vel piscinæ aliquæ erumpant, agrum effringant, prope damna faciunt, crassissimas arbores è radice eruant; sic Deus, longo tempore indulget, malitiis connivebat, tandem excandescit. *In ira absorbet eos.* Peccatorem induratum severissimè obruet, prosterneat, annihilabit, *In ira absorbet eos.*

CONCEPTUS II.

Doctissimus Le Blenck in Psal. 9, inquit. *Malitia summum est Mari Malum.* Cœlum, quò magis Pacatum ac serenum sua vitæ luxit, eò communiter validius excandescit, intensiores, graviores tempestates, fulgura, & tonitrua terræ fructus conquassant, & devastantia iratum dejicit. Firmamentum quò magis quietum pacatum consistit, eò vehementius ventis reboat, & murmurant impetuoso flatu quasi furente spiritu, durissimas quercus concussit, sternit, navigia vertit, & submergit. Mundus mare est, sicut qui in hoc mundo longis annis pessimè agunt, scelera atrocissima committunt, nullum ventum contrarium sentiunt, tempestatem non veritatum, & justæ punitionis non patiuntur, malicia hæc contra ventis divinæ, summum malum comminatur, veniet Deus ultor.

ut horrida tempestas vehementius, gravius, validius excandescet, sic peccatorem puniet, & percutiet, interimet, annihilabit; subscribit Conceptum hunc patientissimus Job. Cap. 4. *Flante Deo peribunt.*

CONCEPTUS III.

Vindicta Divina arcui & sagittæ comparatur: *Dedit eis signum, ut fugiant à facie arcus.* Psal. 69. *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.* Psal. 37. Cur arcui, aut sagittæ? Arcui doctissimus Symbolista hoc Lemma subscribit: *Retentus vehementior.* Arcus, quò diutius non est attractus, expansus, dum tandem attrahitur, eò vehementius repercutit, & evibrat: Sagitta à manu fortiori, & longo tempore ferratâ, dum ejaculatur, validius ejicitur, tangit, & ferit lethaliter. Ad scelera tua, ô Homo! arcus Divinæ vindictæ tot annis remissus consistit, manus Dei non est extensa, ut puniat, ut feriat; si tandem Deus arcum vindictæ extendet, sagittas iræ suæ evibrabit, proh! vehementissimè evibrabit, tanget & feriet lethaliter & fataliter. Teste David Psal. 126. *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.*

CONCEPTUS IV.

Jonathas Davidi signum prædicit, aut gratiæ, aut iræ permaximæ Saulis; 1. Regum 20. *Sedebis ad fontem in agro, & ego jaciā sagittas tres, quasi me ad signum probarem, si dixerō, sagittæ intra te sunt, veni, pax est, & nihil mali, si autem locutus fuero puero, sagittæ ultra te sunt, vade in pace, quoniam dimisit te Dominus.* Mirabile, sagittæ intra David bonum significabant, & gratiam Regis; sagittæ ultra David, pessimum significabant, implacabilem iram Regis, ruinam & interitum Davidis. Ira Dei comparatur sagittis, quibus peccata hominum ferit, ac punit, peccasti, & sagittæ Divinæ punitionis intra te sentis manum Dei punientem & castigantem; bonum signum: percutit Deus, ut sanet, corrigit, ut salvet; ast peccas, & sagittæ vindictæ Divinæ ultra te sunt, Deus connivet, dissimulat, non ferit, non punit; hoc signum est pessimum, puniet tandem gravissimè & fataliter. Expertus Absolon.

CONCEPTUS V.

Absolon tribus lanceis confossus perit; 2. Regum 18. uno sustulisset:

cisset: Cur ergo tribus lanceis confoditur? gravissimè, longotempore peccavit Absolon, superbissimè vixit, fratrem uterinum occidit, contra parentem proprium rebellavit: non legimus, infirmitate aliqua, aut infortunio Absolonem Deum castigasse, longo tempore sceleribus conniverat Deus, moram indulxit: tandem exarsit in iram, justus ultor, ferit, punit Absolonem, ast non simpliciter, sed quadruplo, non unâ, sed tribus lanceis transfoditur, infamis publicarius pendet in quercu, sepulturâ asini sepelitur, lapidibus nempè obruitur cadaver exanime, anima ad tartara detruditur. *Deus quibus indulget, molles venturis malis servat.*

CONCEPTUS VI.

Isaias Cap. 6. narrat, ignito carbone linguam suam mundam vindicem genium, causâ: remissus erat Propheta in corripiendo arguendo sceleratos, sine morâ punit Deus errantem, delinquentem. Dives epulo gravius linguâ suâ deliquit: *Epulabatur quotidie* eâ 15. Statim Deus helluonem non punivit, longo indulxit tempore; exarsit tandem Dei vindicta, punit sceleratum, sed quomodo quam severissimè, absque misericordiâ: *Mortuus est dives, & sepultus est in Inferno: & una gutta refrigerii denegatur in aeternum. Grandis dilatio justius facit esse judicium Dei, & digniorem peccatorum interitum.*

CONCEPTUS VII.

De irato Numine canit David: *Exacerbavit Dominum peccatum secundum multitudinem iræ suæ non quæret.* Ergo nō & in hoc peccatore peccatorem, cui longo tempore patienter connivebat DEUS, specialem ac fatalem iram tandem demonstravit, quia eum non curabit amplius? omnino, in hoc, quia quæret, non curabit amplius, maximè iratum se DEUS exhibebit. Explico me similitudinibus: Si pastor ovem errantem amplius quærit, nec voce, nec minis adducere conatur, ovis errantis casus fatalis est, ruina & interitus præforibus, et Paterfamilias filium protervum amplius non corripit, castigat, vias suas perverfas ambulare sinit, signum est, quod exhereditat eum, abjiciet illum, filium suum esse negabit. Si Medicus infirmum

patientem amplius non curat, vulnera ejus, nec urit, nec secat amplius, desperatum est cum tali, pro mortuo habetur. Peccator obstinatus, longo tempore in malitiâ suâ perseverans, est ovis errans, pastor bonus est mitissimus Deus; ovem errantem peccatorem in malo longè perseverantem, pastor hic optimus Deus, amplius non quærit, pœnis & tribulationibus reducere ad meliorem frugem minimè conatur, sed finit in malitiâ sua errantem ovem, error hic est fatalis, sicut ovis, quæ periit. Peccator est filius prodigus, Deus ter Optimus Pater amplius pœnitentiis ac miseriis non corrigit, sed in perversitate suâ impunitum tolerat; Signum est, quòd tandem abjiciet, & exhæreditabit. Peccator est infirmus patiens, tot vulneribus, quot sceleribus saucius; peritissimus Medicus Deus, non punit, non urit, non secat, tandem ut putridum membrum finaliter abjiciet.

Anatomicus oculum lusciniæ in partes secabat, rectè tunc *Epilogus.* pervolabat Corvus, cui adstantes inclamaverunt; *Cavete Corvi*: si ita delicatum tractas lusciniæ oculum, quomodo non secabit longo vitæ tempore rapacem corvum: hic anatomicus Deus est, provocatus tandem ad justam vindictam, corvum peccatorem induratum, quàm durè tractabit. Ergo dum tempus habemus, recedamus à malo, Pœnitentiis malum retractemus. Concludo cum Petro Damiano lib. 4. Epist. 15. *Qui semet ipsum perfectiè dijudicat, iudicium non expectat, perfectè autem se judicare est, & deprehendenda non agere, & qua econtra sunt, timide retractare.*



IN CONVERSIONE S. PAULI.
CONCIO TERTIA.

Textus. *Vade, Vas Electionis est mihi iste. Act. 9.*

Thema. *Pœnitentia Deum summè propitium, & amorosum reddit.*

Exordium.

M

Agnus Christi adversarius, Ecclesiæ persecutor Saulus fuit, & tamen factus est charus Dei amicus, Ecclesiæ magnus Apostolus, & veritatis Catholicæ singularis Doctor. *Vade, vas Electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus. Act. 9.* Quid que-

so inter charos Filios Dei, inter dilectos Discipulos, inter electos Apostolos, constituit Saulum? constituit nobilis Pœnitentia, sincera ad Deum conversio. *Domine, quid me vis facere?* discimus ex hinc Pœnitentia reddit Deum summè propitium, amorosum, & affectuosum. Patet ex Sacra Scriptura. *Hic peccatores recipit, & mandatum cum illis. Luc. 15. Sacrificium Deo, spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum, Deus non despiciet. Ps. 50. Pœnitentibus autem dedit viam iustitiæ & confirmavit deficientes sustinere, & destitit illis sortem veritatis Eccles. cap. 17. Cumque quaesieris ibi Dominum Deum tuum, invenes eum, si tamen toto corde quaesieris, & tribulatione animata tua. Deuteron. cap. 4. Convertimini ad me, ait Dominus Exercituum, & convertar ad vos. Zach. cap. 1. Audiamus SS. Patres. *Iustitia de celo prospexit, tamquam Dei dicens, peccamus huic homini, quia ipse agnoscit, conversus est, ad puniendum peccatum suum, convertar & ego ad liberandum eum. S. Augustinus super Psal. 84. Ille, qui nos malos tolerat, non dubium est quin conversis clementer ignoscat. S. Ambrosius de Summo Bonorum super Lucam scribit. *Novit Deus mutare sententiam, si tu veris mutare delictum. Aurea sunt verba S. Gregorii cap. 52. Pœnitentiam, quam in securitate torpens innocentia. Unde exclamat. S. Cyprianus. de Laud. Pœnit. O pœnitentia! quid de te novi referantur.***

Textus S. Scripturae.

Patres.

S. Augustinus.

S. Ambrosius.

S. Gregorius.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

S. Cyprianus.

omnia tu ligata solvis, omnia clausa tu referas, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. O *Pœnitentia!* exclamat S. Chrysoſtomus, S. Chryſoſto-
 Serm. de Pœnit. *Miſericordiæ Mater*, per te ſubitò rapuit latro-
 nem Chriſtus ad Regnum, per te David poſt flagitium felix iterum
 recepit Spiritum Sanctum. Concludo cum S. Anſelmo, in Epist. 1. ad S. Anſelmus.
 Corinth. Cap. 11. *Certat vindicta divina, ſi converſio præcurrat*
humana. Imploratâ S. Spiritûs gratiâ deſuper Conceptus de-
 ducam.

CONCEPTUS I.

S. Joannes Baptiſta, ad Chriſtum & gratiam divinam Judæos de-
 ducere laborans, concionem & exhortationem ſuam orditur à
 pœnitentiâ: *Pœnitentiam agite*, Marci Cap. 3. Cur à Pœnitentiâ
 incipit? utique & operibus miſericordiæ, & juſtitiae, ut eleemo-
 ſynis, oratione, & jejunio, Chriſti gratia impetratu, & acqui-
 ritur; Cur ergo non incipit Orationem ſuam ab operibus charita-
 tis, pietatis, vel miſericordiæ, ſed à ſacrâ pœnitentiâ? *Pœniten-*
tiam agite. Ad captum meliorem, moralitate ſequenti me explico,
 ac declaro: Qui cohortem militum antecedit, Dux & Generalis
 omnium ſupremus agnoſcitur: Joannes Baptiſta Judæos ad Chri-
 ſti gratiam deducere volens, omnium primò incipit à ſacrâ pœ-
 nitentiâ, pœnitentiam omnibus aliis virtutibus & bonis operi-
 bus præponit; intelligamus exinde, Pœnitentiam inter virtutes
 maximam, ducem & generalem eſſe, quæ ad Chriſti gratiam ac-
 quirendam, ad DEI amorem & affectum perfruendum, hominem
 deducit.

Confirmatio
 ſeu
 Deductio. J

CONCEPTUS II.

Lege veteri, leproſum tangere prohibitum erat. Num. 5. *Præ-*
cipe filius Iſrael, ut ſeparent de caſtris hominem leproſum. Chriſtus
 Matth. Cap. 8. leproſum in viâ, non tantum tangit, imò manu
 extenſâ, amicabiliter ſuſcipit: ſic Textus: *Extendens Jeſus Ma-*
num, tetigit eum. Quid designat leproſus, & quid designat, quòd
 Jeſus.

U 3.

Jesus eum manu extenta suscipiat? Leprosus designat hominem peccatorem. Ita Paschasius, Lib. in Matth. *Apertissime per unum, lepra maculis conspersum, unitas credentium ostenditur, peccatorum Maculis conquinatorum.* Extendere ad aliquem benevolentiam manum, signum est amicitiae, & affectus, conversio leprosi ad Christum, figura peccatoris, poenitentiae lamentis, ad Christum se convertentis: Leprosus ad Christum se convertentem, Christi opem, & auxilium implorantem, misericorditer tangit, benignam manum suam gratiosam extendit, in signum, Deum specialem amicum fieri, gratis & favoribus addictum reddi, si per Poenitentiam sinceram, ad Deum se converterit, opem divinam imploraverit. Testis filius prodigus.

CONCEPTUS III.

Prodigum filium suum exosculatur Pater; *Accurrens cecidit super Collum ejus, & osculatus est eum.* Luc. 15. Sufficit, quod in Deum receperit prodigum; quod & deosculatus sit ipsum piissimum pater, excessum amoris, gratiae & favoris designat. Prodigum versus, figura est poenitentis, contrito corde ad Deum se convertentis peccatoris; talem non modo recipit, sed & deosculatur piissimus Deus, excessivè amat, diligit, ac fovet. Hoc insinuat Textus Ecclesiastici Cap. 32.

CONCEPTUS IV.

Dicit Salomon, Ecclesiastici cap. 32. *Verecundia praebet gratiam, & pro reverentia accedet magna gratia.* Per verecundiam, poenitentia intelligitur, Cor inquam super Peccata contritum, & humiliatum sincerè conversum, Poenitentem accedet bona gratia bona, id est, duplex gratia, specialis inquam Dei favor & affectus, id efficacibus verbis exprimit S. Lucas Cap. 15. *Majus gaudium erit in caelo, super peccatore poenitentiam agente, quam super novem justis, qui poenitentiam non indigent.*

CON

CONCEPTUS V.

Sponsa perdidit Dilectum suum, iterum invenit. *Inveni, quem diligit anima mea.* Cant. 3. Quo medio invenit? dicit Cant. Cap. 5. *Manus mea distillarunt myrrham.* Myrrha amara, symbolum est poenitentiae, poenitentiam invenitur Christus per peccata perditus; signanter notandum, invenitur per poenitentiam Christus ut Sponsus, ut Sponsus dico, totus affectuosus, amorosus, adiectus.

CONCEPTUS VI.

Ovem perditam bonus pastor ut invenit, in humeros levavit, & deportavit: ante se deducere suffecisset, quod planè in humeros levet, & deportet, nimium est, Quid hæc sollicita bajulatio significat? explico me Moralitate: Mater proli affecta, ut affectum & amorem suum exprimat, demonstret, parvulum non tantum manuducit, sed etiam in humeros levat, & cautè deportat; Ovis errans symbolum est peccatoris, *Erravi sicut ovis, quæ perivi.* Psal. 118. erravit peccator, per varios lapsus, invenitur per poenitentiam & conversionem, inventam ovem humeris deportat pastor, ad innuendum, sincerè conversum Poenitentem quam maximè amat Deus, humeris deportat, per excessum diligit, & affectus est.

CONCEPTUS VII.

David Regno expulsum, iterum Regno restitutum, per tribum *Epiloga.* Juda, legimus 2. Reg. c. 19. Quid Regno expulit? Peccatum adulterii, & homicidii, restituit tribus Juda. Juda idem significat, quod confessio, poenitentia: discamus hinc: per peccatum, qui excidimus regno gratiæ, convertamur, poeniteamus cum Paulo, & gratiæ pristinæ restituemur, amorem & favorem Dei poenitentes inveniemus. Amen.

FEBRU.